EDWARD GWYNN

Class. G. 2
Tab. 5.
N.o 20.

ALBERICI

GENTILIS I. C.

PROFESSORIS REGII.

AD

TIT. C. DE MALEFICIS ET MATH. ET CETER. SIMILIBUS.

COMMENTARIVS.

ITEM

argumenti ejuſdem

COMMENTATIO AD L. III. C. De profeſſor. & medic.

ST. MARK'S LIBRARY

OXONIÆ,

Excudebat Ioſephus Barneſius. 1593.

Hoc habes commentario præcipuè de

Sortilegijs.
Veneficijs.
Astrologia,
Physiognomia.
Incantationibus
Vaticinijs.
Strigis.
Fascinatione,
Necromantia.
Somnijs.

Sequenti commentatione de

Poetis,&
Histrionibus.

REVER. VIRO.

THOBIÆ MATTHÆO DOCT. THEOL. DEC. DVNEL. S. P. D.

ALBERICVS GENTILIS SVVS.

SI quantum est hominibus ad rem aliquam aggrediendam uoluntatis, tantum occasionis, & facultatis superesset: non tu mihi, Thobia Matthæe, *uir clarissime, hoc meo quantulocunq; honoris, & officij genere nunc, sed longè antehac, & digniori cultus munere audireris. Nam & fuisti tu primus, qui in aula magni principis, & in principe ista academia me gravitate iudicij tui olim ornasti, splendidissimæ amicitiæ tuæ favore confirmasti; & quæ præstitisti ab initio omnia cumulatissimè erga me, hæc facis hactenus constanter, & porrò (quod habeo pro compertissimo) facies semper. Quod si cogitationem omnem tuorum in me meritorum paullulùm ponerem, & in tuam uirtutem, in maxima tua, & singularia ornamenta defigam oculos: quæso, quis ille est, qui in certamine isto universæ laudis, gloriaq; tecum contendet? Nihil ipse adfirmaverim solus, at uerissimum cum alijs clamo, & quæror, te academiæ huius sine comparatione summo, & fulgentissimo lumine abducto subortas hic fere tenebras, & omnino ex dimidio non lucere. Te uiro omnium eloquentissimo nobis abducto mutam propemodum istam academiam factam uideri, quæ nulli tamen alij per Europam cedit ingenijs, & disciplinis, at quæ tamen alijs academijs omnibus in*

laude isthac oratoria per te unum maximè antecelluit. Sic res est, sic. Sed quod debui ego iamdudum, & summopere desiderani, ut de lucubrationibus meis aliquid tibi offerrem dignum te, id impeditum in hoc usque tempus seriò fuit, &, ut senties, nec expedit um prorsus in præsentia est. Vt enim parti altera, quæ me primùm traxit ad nobiles illos patronos meos, satis sit factũ: in hac tamen altera, quod tales tibi defero commentationes, satis facere mihi non possum. Sunt istæ quidem argumento illustres, & te dignæ (te, qui in speculis, atque gubernaculo sedes ecclesiæ, & reipublicæ) de artibus, & studijs, quæ exterminari de republica debent, aut in ea serri possunt, vel probari, atq; etiam præmiari consueuerunt. Verùm duabus mihi recitationibus confectæ in Vesperijs, quas nominamus Comitiorum, quanti, obsecro, apparatus erunt, vt pro tua, ac ipsarum dignitate argumenti deduci ad te, & in publicum mox produci non pessimè videantur? At meâ, hæc est condicio, quæ non mutatur, vt nihil mittere in vulgus quidquam potuerim, quod esset elaboratum. Itaque, quicquid est, quod inscribo nunc tuo nomini, præstantissime Matthæe, tu sic quasi à studiosissimo dignitatis tuæ profectum accipias, velim: & in nomine Gentilis tui carissimi, quæ sunt operis vitia, latere tibi omnia sinas. Forte enim & reliqui fuerint mihi æquissimi, qui exigua pro magnis non obtrudo: & in his quoque exiguis vel hoc vnum affero studiosis iuris, quod primus ego fontes istos ipsis aperio, de quibus haurire, necesse est, si leges istas nostras intelligere, & tractare rectè, iuris etiam consulti esse, & dici merito, volverimus. Tu vale, vir excellentissime.

Oxonij VI. Kal. Iul. 1593.

ALBERICI GENTILIS I. C.
COMMENTARIVS AD TIT. COD.
DE MALEF. ET MATH.
et cet. simil.

HABES tit. 16. C. T. lib. 9. Sed non habes l. 1. & l. 2. nostri, & neq; l. 8. Contra habes ilic l. 7. 8. 9. 10. 12. quas hic non habes. Ex l. 1. & l. 2. ilinc confecta est nostra tertia. Sed & d. l. 12. habes in Codice hoc l. 9. de epis. aud. In Codice Grægoriano titulus conceptus *De maleficis, & Manichæis*, qui una constat lege, quam nullibi habemus: nisi quod eam recitat Licinius Rufinus in collat. leg. Iud. & Rom. tit. *de mathematicis & Manichæis*, ubi & exscribit alia ex Vlp. lib. 7. de off. procons. tit. *de mathematicis, & vaticinatoribus*, cui par titulus 21. lib. 5. sent. Paul. *de vaticinatoribus, & vaticinationibus, & mathematicis*. Manichæos iunctos maleficis, & mathematicis audimus, an quia magiq́ue, Manichæiq́; ex Persia utrique? an quòd dogmata impia Manichæorũ aptissima magiæ sint, & maleficiis, deum quippe alterum malum, & malarũ creatorem rerum statuebant. Helcelsitarum sanè hæresis etiam errorem mathematicum habere, & ariolandi dicitur. Niceph. Callis. lib. 5. hist. eccl. c. 7. sed de ipsis Manichæis ita P. Dicon. lib. 24. hist. misc. *Manichæi responsis, & immolationibus operantur, & incantationibus, omni corporali, & spirituali spurcitia dæmonibus seruiunt*. & ibi alia de his. Manichæi singulariter notati & in rub. C. de hæret. & Manich. *qui ad imam usque scelerum nequitiam peruenerunt*, l. 5. eo. & aduersùs quos multa Augustinus, & alii. Maleficorum porrò nomen generale est: sed ad eos tamen cogitur isto titulo, & consuetudine loquendi, qui magna, improbissima facinora patrant. l. 5. l. 7. & tit. Decretal. de frig. & male. & c. 14. 26. q. 5. Ea autem sunt matheseis, & cætera similia: de quibus leges sequentes. Et qui hoc titulo non nominantur, genethliaci, ac planetarij. quos itidem vulgus appellat mathematicos. c. 8. 26. q. 2. & c. 1. 26. q. 3. Et in illa Causa habes de pythonibus, salitoribus, pyromanticis, & ceteris. Sed qui sunt vernaculi? Suet. Vitell. c. 14. *nullis infensior, quàm vernaculis, & mathematicis, ut quisq;*

deserre-

deferretur, inauditum capite puniebat. Turnebus reponit *divinaculis.* Scaliger, *veraculis.* & hoc ſanè nomen adſumebant divinatores illi libenter, ut alia pleraque honeſtiora, quod dico ad l. 2. veracis epitheton tribuit ſagæ Tibullus. & verare, veratores, veratrices dicebantur, qui profitebantur, futura vera, quæ dicerent. Vt iſti notant. Sed ſi *vernifera* ſunt augurii menſalia, Feſto auctore; ſuſpicari poſſumus, nec ita corruptam Suetonii eſſe ſcripturam, at qui ſint verniculi tamen, non capio adhuc. Sortilegi, qui ad cæteros huius tituli pertinent, ſunt, qui per ſortes quaſdam profitentur eandem divinationis ſcientiam. Et ſortes apoſtolorum liber apocryphus. c. 3. diſt. 5. Et de paginis evangelicis lectæ ſortes. c. 3. 26. q. 2. Et de quibuſcunque ſcripturis ſacris. Et ſanctorum dictæ ſortes. c. 1. 26. q. 1. & c. 6. 26. q. 5. Et de ſortibus variis apud Ethnicos, ad Gerionis oraculum. Suet. in Tybe. c. 14. Antiatinis. in Calig. c. 57. Præneſtinis. in Domit. c. 15. Cæritanis. Liu. lib. 21. & lib. 22. Dodonæis. lib. 8. aliis. lib. 38. aliis. Alc. lib. 5. parerg. c. 22. apud Germanos. Tac. de mori. Germ. Sortilegium hodie omne vetitum. tit. de ſortileg. in decretal. & not. ad c. 1. 26. q. 2. Sed iure tamen civili ſors admiſſa inq; iudiciis. l. in tribus & l. ſeq. de iudi. & l. generaliter. p. quid ergo. de fid. lib. l. vlt. in prin. C. comm. de lega. l. 2. C. qua. & qui. quar. pars. & aptè ad d. l. in tribus. Quinctilianus lib. 7. c. 1. *multis milibus verſuum ſcio apud quoſdam eſſe quæſitum, quomodo inveniremus, vtra pars deberet prior dicere, quod noviſſime ſorte dimicatur.* Sed in iudiciis vetitæ ſortes expreſſè. c. 7. 26. q. 5. Ergo ſic diſtingunt Bartolus; ut quæſtiones iuris poſſint ſorte dirimi, non quæſtiones facti. adi illum ad l. ſi duo. D. uti poſſ. cuius communiter adprobatur opinio, ut per laſ. ad l. huiuſmodi. in fi. de lega. 1. & ad d. l. ult. C. comm. de lega. Quum res eſt adeo incerta, & perplexa, ut exitum non habeat, tum admitti hoc per ſortes iudicium, tradit Alc. d. c. 22. lib. 5. parerg. Et quum non agitur de præiudicio tertii. Bal. ad l. ſi duas. de excus. tut. Verum de his ſortibus hæc ſunt iuris civilis, quæ divinationem, & maleficia tituli noſtri non attingunt.

AD. L. I.

VEneficii crimen notatum hic in maleficiis. Sed in Digeſtis habes tit. de ſicar. & venefic. Neque hic tamen de veneficiis his tantum ponitur, quæ per magicas incantationes ſunt. ut cenſuit

cenſuit Azo. & ad quæ pertinuiſſe legem de veneficiis, tradit Manutius. Sed generaliter & de veneno notatur, & tranſlatum hîc crimen omnis veneficij eſt, ubi ſeuerius in illud animaduertitur: & meritò, quia plus eſt, hominem extinguere veneno, quàm gladio occidere. Et tanto grauiora ſunt crimina, quanto difficilius cauentur. Cic. pro Roſ. Amer. itaque ſi licet hominem occidere, non id tamen licet facere veneno. Et nec contra hoſtes uti veneno licet ut docui lib. 2. de Iu. be. Et quum ignoſcit lex homicidæ, ſi alium poſt interfecerit homicidam: ei non ignoſcetur, qui veneno hominem enecarit. Vt ex facto judicatum recitat, & adprobat Dec. conſ. 65. In veneficio preterea proditio eſt. Et injuſtiores ſunt occultè, & per inſidias agentes. Ariſt. lib. 7. eth. Et nulla igitur clauſula caurum intelligi uolunt de veneno, ſi crimini bus parcitur, aut conniuetur, & de veneficio non exprimitur. adi Guicc. lib. 13. hiſtor. Committitur iſtud crimen quomodocunque adminiſtretur uenenum in necem hominis, non ſolùm ſi miſcetur, ut quidam loquuntur, quod eſt infunditur. Ariſt. ad ſi. lib. de poe. ubi interpretes plura de eo uerbo. Veneno igitur extinctus Hercules, & dolo inermi dicitur à Lycophrone in Alexandra. Neque dubitari de hac definitione poteſt. Spectant ad veneficij crimen procurati quoque abortus, imò & ſterilitates procuratæ, etiam & pocula amatoria. audi Iuuen. Saty. 6. *tantum medicamina poſſunt, quæ ſteriles facit, atque homines in uentre necandos conducit. Hic magicos affert cantus, hic Theſſala vendit philtra, quibus ualeat mentem nexare mariti.* lege illa in Decreto. *ſterilitatis uenena procuret, fœtus intra uiſcera extinguat. &c. c. 7. c. 8, c. 9. 32. q. 2.* Audiſti de medicaminibus. Medicamentarius, & medicamentaria ſunt maleficus, & malefica, uel uenenarij. l. 1. C. T. de repud. Adde de procurato abortu, l. 3. p. pe. de ſtatul. l. 3. p. 1. de ſicar. ubi malo exemplo medicamentum datum ad conceptionem, non malo animo: id eſt, quod non odij meditatione, ſed cauſſa explendæ libidinis datum eſt. c. 5. de homicid. & ita ad conceptionem impediendam: uel etiam ad diſperdendam. Vt hoc ipſum abortionis poculum dicit Paul. lib. 5. ſent. tit. 23. & l. 38. p. 5. de poe. Quod ſi etiam ad juvandam conceptionem capis, punietur tamen ea mulier, quoniam mali exempli res eſt, mulierem iſthæc audere, quæ ad medicum ſpectant. Scio, & mulieres medicas: & quaſdam nominaui lib. 2. de clar. mulier. ſed non de medica dicitur in d. p. 1. Scimus, obſtetrices facere medicinam. l. 1. de extr. cogn. at neque de obſtetricibus ilic notatur. neque iſthæc medicamenta dare obſte-

trix audebit, nisi supergressa fines artis suæ. Sic & de vulgari homine accipio illa Pauli, *si ex eo medicamine, quod ad salutem hominis, vel ad remedium datum erat, homo perierit, is, qui dederit, si honestior fuerit, in insulam relegatur, humilior autem capite punitur.* Hæc est differentia inter reliquos, & medicum, quod huic non imputatur, nisi imperitia dati medicamẽti. p. 3. inst. de leg. Aqui. l. illicitas. p. sicuti. de off. præs. reliquis imputatur omnino, quòd dederint: etsi ad salutem dederint, non malo animo. nam cùm medici nõ sint, adeoq; nesciant dare medicamentum, ecce dant tale, ex quo mors, non salus, est. Quamquam nec facile est semper, definire, si a medicamine mors fuerit. Illud in quæstione est, si medicamentum detur ad abortum, ut seruetur mulier, an factum excusari possit. & posse, Socinus censuit: contra quem alij sunt: Felynus autem indefinitum reliquit: & nec prorsus definit, qui de hoc tractat, Menoch. de arb. ca. 357. Sed cur non ita definietur? ut si egerit peritè medicus ex arte, is reprehendi non possit, quod abortus ex curatione mulieris secutus sit: contra, si imperitè. Atq; de eo medici facto, non iurisconsultorum, sed medicorum iudicium sit. Hi mediis mensibus non fugiunt exhibere prægnati purgans medicamentum primis fugiunt, & postremis: sanguinem vix mittent fœtu grandescente. & hæc tamen facient omnia, si validam nacti mulierem erunt: cum id genus alijs, quæ illi tradiderunt. Hippocr. aphoris. 1. sect. 4. Cels. lib. 2. c. 10. Aver. 7. collec. c. 4. Quod si casus proponitur in eo, qui abortum certò curaverit: audenter ego medicum dãno. nec enim ullus est auctor medicus, qui id præcipiat. etsi hi sunt, qui jubent, ad mulierem respiciendum in dura hujusmodi necessitate, non ad fœtum. Et missis hîc definitionibus medicorum, an tu malum certum probes, ipsam necem fœtus, propter bonum incertum, vitam mulieris, quæ an sit cõvalitura, semper incertum est. Quę nuptura Domitiano erat, dũ conceptum a se abigit, mortua. Suet. in Dom. c. pe. Malum certum admittes, ut vites malum incertum? nam incertum est semper, si mulier morietur non ita curata. Tu ne homo adsumes arbitrium dei tibi? ille est arbiter vitæ, & mortis. Et spernes illud domini? *non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Si malóque animo procuratus sit arbortus, propter atrocitatem criminis puniri voluntatem, etsi secutus non sit effectus, alij tradiderunt, & Dec. ad l. 6. de reg. iur. puniri vt homicidium, ait c. 5. de homicid. non tamen pœna ordinaria homicidij, ut volunt communiter, adi Couar. ad reg. peccatum. p. 2. p. 3. & Paul. d. tit. 23. p. qui abortionis. & Menoc. cas. 358. ubi ex Alciato, si benè notavi, tradit, contra regulas iuris gentium

um esse d.p. qui abortionis. Et ego idem censeo in parte, qua affectus pro effectu puniatur, ut docui lib. 2. de legat. c. 18. at in eo, quum mors mulieris, aut viri amatorio potionati secuta est, assentiri illis vix queam. etenim nec ius gentium constituitur ex iudicio illo Areopagitarum contrario, quod meminit Aristoteles lib. 1. magn. moral. c. 15. Sed de amatorio mox. Nunc de ea, quę sibi medicamentum ad abortiendum sumpsit. Et iudicia duo comperimus, alterum pœnæ capitalis, alterũ exilii tẽporalis. nisi dicimus potius, quod si pretio corrupta id fecerit mulier, capite puniatur: exilio, si odio, aut prava alia cupiditate. Et ita per ea, quæ de pretio dicam ad l. 3. & sic sunt l. 4 de extr. crim. l. 39. de pœn. l. 8. de sicar. Disceptatum & aliàs de hac re. & fuerunt, qui adseverarent, mulierem nec quidquam sceleris commisisse. quæ not. Pet. Victor. lib. 27. var. lect. c. 2. Et Iacobus Cuiacius nescio quid scribit ad l. 2. de excus. & ad l. 4. de usucap. Stoicos, negasse animal, quod est embrio: & nos sequi Stoicos. contra eos tamen disserere Galenum; & fuisse leges Lycurgi, & Solonis, quę puniebant, si qua partum abegisset. Nescio, inquam, quid sibi de nostris velit, qui hoc facinus & ipsi puniunt. adde, quam & Cuiacius notat, l. 2. de mor. infer. l. 3. de pœ. & l. quod dicimus. 231. de V. S. ubi plenius id explico, an, & quãdo pro nato iudicetur, qui in utero est. Nostri quadripartitam illam distinctionem non cognoscũt, quam habent medici, ut prius esse dicatur in utero genitura, mox fœtus, deinceps delineatus fœtus, tandẽ infans: sed indistinctè idem ius de his omnibus statuunt propter unam spem futuri partus. Sic Hippocrates, quem iurasse volunt, abortum non procuraturum, de genitura disperdenda sibi permiserit. Nostri autem & facta ad cõceptionem impediendam puniunt. meritò, quia factum hoc est ad naturæ iniuriam, & dei optimi maximi contẽptum, qui dixit, *Crescite, & multiplicamini*. sacrilegiũ hoc longè maximum inquiebat Augustus verè, per quod hominum finis procuratur: quos scilicet cum servare singulos nequeat natura, sic servat per generationem continuam. ut Averroes dicere traditur. Et de his hactenus. Sequitur de philtris, hoc est amatorijs poculis, qui conciliandi amoris caussa fiunt, & ad flectendos pudicos animos in libidinem. ut de his etiam exponi potest l. 4. De amatorio autem hoc primum, non esse propriè venenum, definit Quinctil. lib. 7. c. 4. contra tamen est l. 3. p. 1. de sicar. & ita gravissima eius rei pœna. l. 38. p. qui abortionis. de pœn. Lucullus hoc enectus poculo. Plut. in Luc. Plin. lib. 25. c. 3. item & Lucretius poeta. de quo etiam Alc. cons. 28. lib. 7. Caius Caligula in furorem coniectus. Suet. c. 50.

& alia quædam accusata, iniecisse carminibus, & veneficiis vecordiam marito. Tac. lib. 4. annal. & ille alius mortuus, de quo Arist. in mamo. Sed & alia exempla supersunt. Magna autem constituitur merito pœna, & morte secuta etiam mortis: quia rei illicitæ operam dedit, qui hoc poculum dedit. Itaq; veniat merito puniendus, etsi non in effectum secutum dederit. ut certissimæ sunt iuris regulę. an non dixi, puniri capite illum, qui medicamen dederit ad salutem hominis, si is ex medicamine mortuus sit? Et miror ego, Areopagitas absoluisse illam mulierem: cùm Athænis cædes, damnaque vindicarentur etiam adversùs bruta, & adversùs inanima. quod in Att. Pausan. & Demonsth. adver. Aristocr. Sed an ipse unus quęsitus amor ex philtris esse potest, aut ex alijs incantamentis? Magicas vanitates has sæpe irridet Plinius. & nugas has quorundam, ait Harmenop. lib. 6. tit. 10. Cetcrùm si amor curatur a medicis ut species quædã melancholiæ: quid ni possit amor medicamentis etiam induci? est de erotico hoc affectu curando Langij ep. 24. lib. 1. ubi de veteribus medicis plura. Platonici censuerunt, a dęmonibus philtra machinari. Et ego crederẽ sanè, induci huiusmodi affectus per illa pocula posse vel ope dæmonum, qui humores sic aptare possunt: ut dicam ad l. 6. vel per ipsam medicamẽtorum vim idem operantium, quod dæmones in illa humorum aptatione. De mandragora id præcipuè tradunt, quam & circæam propterea vocari, volunt. adi & Dioscor lib. 4. c. 71. Et hinc forté, quod de poculo huiusmodi amatorio ageretur in Mandragorizomeno, titulus factus comædiæ est, cuius non semel meminit Athęneus. Machiavellus & comædiæ cuidam suę titulum scripsit Mandragoræ a simili potionis argumento. Sed hæc obiter. Sed alij, ut dixi, hæc omnia nugas putant. Et Olympia Thessalam pellicẽ mariti sui pulcherrimam quum vidisset, hæc, dixit, sunt venena, & incantamenta, quibus maritus meus captus est. Sic dixit, & mulierem, delatam sibi pro venefica, absoluit. quod Plut. de amo. coniug. Et sic Afranius in Vopisco *Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio, hæc sunt venena formosarum mulierum*. Quod tamen nec sint ista pocula, aut alia incantamenta nisi nugæ invalidę, non propterea leges iniustè statuũt illis pœnas, & quidem severissimas, quemadmodum in pari quęstione concludo ad l. 6. At quę est pœna veneficij, de quo lex nostra loquitur? habes in l. 3. p. pe. de sicar. in l. 28. p. venenarii. de pœ. & p. eadẽ. Inst. tit. ult. ubi, quod Manutius, de magicis incantationibus. Et ubi quod dicitur *publice vendiderint*, idem est, quod *temere* in d. l. 3. p. alio. Et in rubr. & l. 3. C. de su. trin. vulgus de religione rixatur scilicet, ignarũ, quid sit hęresis.

ut

ut legis apud Pachy.lib.8. & quod *in publicũ* d l.3.p.1. de ficar. hoc est, cuicunque emere volenti, multo enim minus licet, clam vendere. Tyberius vetuit, aruspices secretò, ac sine testibus consuli. Suet.c.63. Et ita nec apud omnes venena esse debent.l.4.p.1.fam.erc. Nec omnium venenorum est venditio, sed eorum tantùm, quę adiectione alterius materiæ usui nobis esse possunt.l, quod sępe. 35.p.2. de contr. emp. Atq; Plato lib.11.de leg. lege sancit, ne venena quisquã administret, decernit. Galenus etiam lib.de antid.c.7. damnat Orpheũ, alios q; , qui docuere. Et quod quidam noxię herbę inventor supplicio affectus fuerit, idem narrat in lib.de purg.me. De cognitis venenis exponunt medici ad salutem. & sunt quędã ad varios morbos depellendos, etiam nec mixta aliis materiis. Sic elleborus curat insaniam, aconitum scorpionis morsum, argẽtũ vivum scabiem, & arsenicũ adversus pestem prodest. ut hęc, & alia docet princeps medicorũ, & litteratorũ huius ęvi Mercurialis lib.1.de.venc.c.3. & 4. ubi, quod & venenis vtuntur alii artifices multi: & animalia quędã vescuntur venenis: & vlcera venenis aliquando curantur: & venena sic fuerunt etiã ante lapsum Adę. Ergo adscriptum frustra videtur a Caio illud, *adiectione alterius materiæ* in d.l.35. si quędã usui sunt & sine ista adiectione. Verùm non ita est, quia sunt venena, quæ non sunt usui sola, & plerunq; utimur non solis. Quoniam verò periculosissimũ semper est, tractare venena; & aliqua etiã sunt, quę iuvare neq; sanos, neq; ægros valent, nisi forte per accidens, ut idẽ Mercurialis declarat: propterea legibus cautũ sic est, ne omnes habeant venena, neve omnibus divendantur. At ego de venenis alia quædam ad l. qui venenum. de V.S. De pœnis veneficij proposuimus. Notemus ergo, & ita cõcludamus, quod quãdo crimen veneficij trãslatũ in hunc titulum est cum insigni hac sentẽtia Antonini, utiq; & punietur severioribus pœnis huius tituli. Veneficii accusatum vivum exustũ recitat Amm.lib. 29. in Persia exuri venefícos, prędone caussam proclamante, legis.lib.8. Etiop. Aeliod. nam Plutarcus aliam memorat pœnã in Artaxerse, lapide scilicet venefici caput confringi, solitum. Quæri solet, si pœna veneficij teneat morte non secuta. Et propter criminis huius atrocitatem, volunt aliquãdo leges municipales, conatũ pro effectu puniri. quod Dec. ad l. 6. de reg.iur. Item lege Cornelia teneri dicitur non eum solũ, qui hominẽ occiderit, sed eũ etiã, qui hominis necandi caussã venenum cõfecerit, dederit, vẽdiderit, habuerit. l.1.3. de sicar. In contrarium facit, quod legibus conatũ punientibus derogatum est cõsuetudine: ut alij notant, & præceptor meus Eugenius cons. 46. lib.1. Item, quòd lex nostra exprimit de ipsa morte, *veneno extinguere*. Tractat de ista

quæstione Bal. conſ. 443. Cechus. lib. 3. & in eo, qui venenum paravit hominis necandi cauſa, adfirmat, non eſſe pœnam mortis, aut membri, ſed pecuniariam, aliquando aliam corporalem. in altero autem, qui & venenum dedit, propinavit, pœnam admittere mortis videtur. adi conſilium elegantiſsimum. Ego autem propterea dixi *videtur*: quia ita quidem ſcribit: at caſus eius cum non ſit iſte, potuit facilè ita tranſegiſſe, & conceſſiſſe. Verùm hæc omnino credi receptior ſententia poteſt. Syl. nup. lib. 1. num. 44. Sed tamen diſputari poteſt, ſi ea obtineat in propoſito legis noſtræ propter pœnas huius tituli graviores. Nam crimen huc tranſlatum cum ſit in caſu mortis, non videtur, a nobis tranſferri oportere etiam ad caſum conatus. Puto, & de conatu accipiendam legem noſtram, quia & conatus hic punitur. l. 4.

AD. L. II.

GEometria retinetur, matheſis damnatur. Et matheſis tamen eſt genus ad geometriam, & arithmeticam, muſicã, aſtronomiam. & neq; arithmetica damnatur. l. 1. p. ſudi. de extr. cogn. & arithmetica ſimul, & muſica laudatæ c. x. diſt. 25. Et nec eſſe architectus ſine muſica poteſt, ſed nec ſine aſtronomia. Vitru. in prin. arch. & geometriam, muſicamq; facit ſocias Maximus Tyrius ſer. 21. ubi tamen exponit, non ſe de vulgaribus neſcio quibus cantilenis loqui. quod & Pla. in Tim. dum negat, ad voluptatem eſſe muſicam. Plato. & ante illum Pythagorici philoſophiam vocavere muſicã. Stra. lib. x. De vi muſices Quinct. lib. 1. c. 16. & quod corporum medetur morbis. Macr. lib 2. ſomn. c. 3. tibicinem modulatè canentem auxilio eſſe morſis a vipera, de Theophraſto etiam recitat Gell. lib. 4. c. 13. ſed id tamẽ fabuloſum putat Mercurial. lib. 2. de vene. c. 3. Aſclepiadem phrænetico-rum mentes morbo turbatas ſæpe per Symphoniam ſuæ naturæ reddidiſſe, narrat & Cenſor. de di. na. c. 11. Et ſi Saul non a dæmone prorſus, at humore melancholicho exercebatur, utiq; nullo aptiori remedio iuvari potuit, quàm dum per muſicam mæſtitia ei excuteretur, & rerum cogitatio horridarum. Sed etſi dæmon eum agitabat, adhuc & iuvabat muſica, quia non ea agitatio fuerit niſi per humores melancholicos, qui muſicâ mitescebant. neq; enim capitur ipſe dæmon iſtiuſmodi oblectamentis, ut hæc, & alia latè doctiſſimus Valles. in lib. de ſa. phi. c. 28. De morbis eadem notat Athæn. lib. 11. Sed & de moribus, & animi affectibus, qui formentur, temperentur a muſica, & multa

multa in laudem eius artis. Quod ad exercendam, acuendamq; mentem musica conferat. Quod Masurius iurisconsultus nulli secundus musicis assiduam operam navavit. Quod apud singulas nationes tum Græcorum, tum barbarorum, quorum leges & instituta innotuerint, in pretio fuit. Et id genus reliqua. Quod vero is auctor scribat, musicam, fractam, & corruptam id supra considerationem est artis nostræ, quę populari statera vtitur. Et ita quod dixitque Maximus Tyrius, non se illa censere de geometria, quà ad terræ dimensionem ars ista seruit munere uilissimo, nobis curæ est: qui imò vsum hunc præcipuè amplexamur. l. 2. C. de excus. art. & ita ait lex nostra de exercitio. Et sic est geometria militaribus annumerata artibus, mechanica silicet. Plut. in Marcel. & sic mensores vocitati magistri geometriæ. Boet. in lib. de geom. Et sic Socrates, geometriæ eò vsque dandam operam, monebat, quoad quis posit terram accipere, & dare. Quod Laert. Astronomia porrò recepta est, quæ certissimas astrorum leges, ortus, occasus, & cætera id generis ostendit certissimè & maximo commodo hominum. Atque ita sunt in academia scholæque, professoresque harum quattuor artium. An ergo species omnes mathematicarum probantur, improbatur genus? At genus nihil est nisi omnes suæ species. Mathematica ars hic dicitur haruspicum, ariolorum, & similium. Vt habes in legibus sequentibus. Et ita Alc. ad l. metameos. C. de excus. artif. & Duar. ad tit. de sicar. Volunt silicet hi omnes dici mathematici, vt hoc liberali nomine meptias suas adumbrarent. Quod hic Cuiac. Et ita qui ligaturis, præcantationibus, notis vti solebant ad remedia corporum, artem suam eminentiori physicæ nomine vocabant: vt quasi non superstitionem implicare, sed ex natura prodesse viderentur. c. 6. 26. q. 2. Sic et habitum philosophię indebitè, & insolenter multi vsurpant. l. 8. C. de prof. & med. & odiosam artem alio nomine factitant. vt ait Pla. in Protag. Porro autem mathematicorum nomen vsurpatum est alijs auctoribus eadem ista significatione, qua nostris, obscurum non est. Et Duarenus adnotavit. Hic scribit, dubitatum de astrologia. Ea vero de astrorum viribus, ac potestate differit, non illis quidem, de quibus physicus tradit, vt de lumine, & calore, sed de commentitijs quibusdam alijs, quę affingunt astris astrologi circa vitas, mortes, mores, fortunas, & id genus alia hominum. Hanc artem (si ars tamen est rerum vanissimarum) prædicentem inclinationes naturales, non eventus necessarios, vetitam non esse, idem notat Duarenus. Verùm sic est dicendum potiùs, vt prohibita sit omnis prædictio ex astris, quæ sit de rebus non ne-

ceſſariò contingentibus, nec de rebus naturalibus generaliter. Et itaque omnis aſtrologia vetita ſit: quoniam omnis aſtrologia extra res illas eſt. Faciunt bonam partem aſtra in pluuijs, & alijs conſtitutionibus temporum. Itaque & in fructibus terræ, & in morbis, & ſalubritate. Sic & Thales per aſtrologiam præſpexerit futurum olei proventum vberem, vt de eo recitat Ariſt. lib. 1. politic. Sed & ad mores aliquid aſtra poſſunt: quia faciuntque ad temperiem: & hæc ad mores. Quæ omnis aſtrologia agricolarum, nautarum, medicorum, Et hi omnes certius præſagiunt, quoniam ex cauſſis proximis, & rebus jam incipientibus fieri. Aſtrologi ex generalibus, & longè poſitis. Quod eſt verum vaticinij opus, obſcura, ac nullo modo viſpiam apparentia præcognoſcere. Lucia. in diſp. cum Heſio. De agricolis Virg. lib. 1. Georg. *Atque hæc vt certis poſſimus diſcere ſignis &c.* De medicis Hippocr. in lib. de aer. aq. & loc. & alibi, & alij. Alia, quæ de vita, morte, fortuna prædicit, nullatenus ferenda. Nam vetita Eſa. 47. Levit. 19. Num. 13. Deuteron. 18. *cum magia punitur*, (inquit Tertull. in lib. de idolo.) *cuius eſt ſpecies aſtrologia: vtique & ſpecies in genere damnatur*. Interdicta aſtrologia epiſcopis. Niceph. Call. lib. 9. c. 5. Aſtrologi ſub Auguſto Roma pulſi. Dion. lib. 49. Hi ſunt mathematici toties expulſi. Vt apud Suet. & Tacit. Hanc aſtrologiam damnauit Homerus pater omnis virtutis, dum eadem natorum nocte alterum haſta, alterum conſilio valentes facit Ilia. 18. quod aduerſus aſtrologos eſt, qui hos natos facerent ejuſdem ingenij. Nam ſi reſpondetur nobis, non eodem tamen natos puncto, ab Homero dici, non eodem conceptos, non eodem animatos: quæ duo poſtrema jam reſpondentur contra exemplum à Cicerone allatum, in hanc eandem nobiſcum ſententiam, de Spartanis illis duobus regibus lib. 2. de divin. His rejiciemus nos ad Homeri opinionem quod attinet, non ſolere poetas tradere exactè res, ſed indicare leuiter. Etiam Iſocrates in orat. con. Soph. obſeruat, quod Homerus deos de futuris deliberantes interdum inducit, ut oſtenderet, futurarum rerum prænotionem non eſſe noſtri ingenij, ſed humanæ ſapientiæ captum multò excedere. De duobus poſtremis etſi meum non eſt litigare, quia præſentis quæſtionis definitionem tandem non conficiunt iuriſconſulti a ueritate artis, ſed ab vtilitate: tamen uerbum dixero, quod ſi conceptionis, & animationis momenta, & alia noſſe hic oportet, quæ in arcano imperſcrutabili corporum fiunt; nullam eſſe iudiciari-

diciarium aſtrologiam, neceſſe eſt. Quid ſi aſtra etiam ſunt plurima aut latentia, aut incognita, à quibus tamen non minus, quàm ab apertis pendeamus? Sed hæc ipſis relinquimus excutienda aſtrologis, & ſubtilioribus de aſtrologiæ ueritate diſceptatoribus. Nos Homero adiungamus Virgilium, qui lib. x. Paridem, & alium eadem natos nocte dicit, & quod Paris in paterno occubet ſolo, alter in peregrino. Lucam illa ſunt magni aſtrologi monachalia, *ſtant gemini fratres fœcundæ gloria matris: quos eadem, variis genuerunt viſcera fatis.* Lyricus, quominus poeta, eò apertius, *Prudens futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit deus.* Horat. od. pe. lib. 3. At hæc plurima ſunt, quę reſpuunt aſtrologiæ patroni quaſi teſtimonia imperitorum; maximè quia, Ptolemæum primum ejus artis iecille fundamenta volunt; ante illum autem damnatas merito Chaldæorum ſuperſtitioſas quaſdam obſervationes, & præſtigioſas concluſiones. Sed hi neque diſſentiunt à nobis in ijs, quæ ad animorum propenſionem pertinent, ob animæ libertatem, parentum indolem, educationem, conſuetudinem. Et neque nos diſſidemus ab ipſis in his, quæ ad ualetudinis ſtatum pertinent, ad naturamque corporis, & temperamentum. Vt ſola ſuperſit quæſtio de fortuitis. In qua cur non ſequimur conſenſum uniuerſum, & preſertim theologorum aſtrologiam damnantium? Hoc magnum Pici Mirandulę argumentum in quattuordecim illis libris, quos aduerſus aſtrologos ſcripſit optime, ut multi uolunt. Nam alij infenſum iſtis hominibus ob priuatam cauſſam, aiunt. Alij, imperitum rerum aſtrologicarum, affirmant. Et alij, eum non diſputare contra uera aſtrologię fundamenta Ptolomæi, ſed ut plurimum artificibus uituperatis, & aduerſus illas antiquiorum præſtigias, & ſuperſtitiones. Quo de homine, & opere quicquid cenſeas, hoc certè magnum argumentum nobis eſt à conſenſu doctiſſimorum uirorum, theologorumque. Et ita etiam ait Valleſius, quod *aſtrologia hæc a uiris doctis deridetur ut inanis, a cordatis explodatur ut inutilis, à legislatoribus interdicitur ut impia.* Pendebant Alexandriæ tributum aſtrologi, quod ſtultorum appellabatur, quia à ſtultis conſulerentur. vt recitat Suida. Et quæ utilitas eſſe poteſt in addicendo prudentiam humanam uanis ob ſummam artis difficultatem uaticiniis ſępius, & propter artificum arrogantiam, reliquamque improbitatem (ut hæc in confeſſo omnibus ſunt) mendacibus ferè ſemper? Sic leges vetuerunt aſtrologiam. l. 15. p. 9. de iniur. quia hę aptentur ad ea, quę frequenter, & facile fiunt. l. 5.

de legi. Quod ſi de ſtatu,& mutationibus regnorum, quaſi iſthæc à ſyderibus ſint,vt Plato quoque ſenſiſſe videtur in Epinomide,nos audire aſtrologos volerimus: perniciofiſsimam artem deprehendimus,& in cauſſis his principalibus meritiſsimè condemnatam.vt dico ad l. 5. Atque quod, artem licitam vſque ad Chriſtum, ait c. 1. 26.q.3.falſum eſt.Nec enim ſi proba ars eſt, eam extinxiſſet dominus:nec,ſi improba,unquam licita eſſe valuit.Et non juvat ſtella contra nos,quæ magos duxit: quę non ex his,de quibus pendent aſtrologi,ſed alia,& divinę virtutis. Quod theologi docent. Quidam etiam opinati ſunt,Balaamum de ea exoritura inſinuaſſe Perſis olim,& prædixiſſe,futuram nunciam venientis Chriſti,lege Niceph. Cal. lib. 1.hiſt.eccl.c.13.Hæc itaque magorum ſapientia, & diligentia, qui aſtrum obſervaverint,& ex veteribus monumentis vim illius cognoverint.Sic nos,quum viderimus,ſigna fieri in cœlo illa, quę Chriſtus ipſe futura ante alterum eius adventum, prędixit, ſtatuemus de adventu iſto,nec tamen ex aſtrologia.Et de aſtrologia plus ſatis. Aſtrologis autem ſimiles ſunt chyromantici. Imo hi ſunt vaniores multo, qui aſſi à ſibi in manu confingunt,quę referant ad illa in cœlis aſtra,& cum aſtrologis ex aſtris illis divinant.At vero ſi de chyromantia parte phyſiognomię ſermo eſt,eam vtique non dicemus vanam. Nec enim vana eſt phyſiognomia,quæ ex faciei,& corporis reliqui habitu iudicat cum de corporis,tum etiam de dotibus animi. Et rectè Socrates à phyſionomo notatus fuit.Cic. de fa. eſt videlicet corpus quædam imago animæ,ut dicebat,neſcio quis.Et animi mores ſequuntur corporis temperaturam. Quod Galenus libello complexus eſt. Ex corporis lineamentis,colore,figura,forma,aſpectu,inceſſu,locutione,ſimilibus,quę in ipſo homine ſunt,hæc eſt divinatio phyſiognomorum. Ariſtoteles librum contecit,quem habemus,phyſiognomicorum: & ita exorditur, *Quod & animæ ſequuntur corpora,& ipſæ ſecundùm ſe ipſas non ſunt impaſſibiles à moribus corporis,id manifeſtum ſit,&c.* Atque ilic concludit,ſane eſſe artem aliquam phyſiognomiæ;quàm & docet. Tu vero obſerues,in eo libro de moribus ſolum,non de alia re vlla,exponi: & id primum quod ait,eſſe artem aliquam. neq; enim aut ipſa hęc naturalis numquam fallit,vt in Socrate notatum eſt. Et dixit Xenophon in œconomico,animo improbos nonnullos pulchros corpore. Sed ad longitudinem,& brevitatem vitæ conſiderat manuum lineas Ariſtoteles lib.1.hiſt. anim.c.11. Et creditur id nec prorſus vanum: quoniam adformationem ſpectant illa lineamenta, & formatio ad temperiem, ex qua eſt brevitas, & longitas vitæ. Aut ſi rem iſtam incer-

incertissimam credimus, dices, in ea historia non esse tantę auctoritatis Aristotelem, quantę est in philosophicis. Quod omnes admittunt. Et simile affertur de libris problematum: in quibus multa conficiantur ex aliorum opinionibus. Etiam negant aliqui Aristotelis librum physiognomicorum. Sed ego ut illam partem divinatricem de vita, & morte condemno, & condemnatam cum reliqua omni divinatione puto, ita coniectricem istam de moribus reprehendere non possum, cujus & in judicijs multum esse vsum animadverto. Quanta enim Cicero in Verrem, Vatinium, Pisonem, Antonium, alios hinc petita argumenta? *Nonne ab imis vnguibus vsque ad vertucem summum (si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur?* Cic. pro Comœ. Et nostri interpretes iuris vtique seruant, vt suspectiorem habeant deformiorem, & in quæstionibus ab eo tormenta incipiant. Sicut & ab eo, cujus vel turpius nomen sit. Sic non est damnata physiognomia. Futilissimi geomantes, qui in terra describunt loca planetarum: pyromantes, hydromantes, reliqui semiastrologi, & astrologis longè vaniores. Hi sunt mathematici, qui hac lege damnantur. Et qui figuris mathematicis vnà & nomine mathematicorum abutuntur.

AD. L. III.

HHARVSPEX nomen habet ab haruga, & hæc est hostia sic dicta ab hara. Quod vetus interpres in Phorm. nam ab horarum inspectione deducitur c. 1. 26. q. 3. exta inspiciunt haruspices, & futura inde prædicunt. d. c. 1. Ceterum & portenta ista interpretabantur. Quod vides ex Cic. orat. de haruſp. resp. Etiam sacerdos hic nominatur. Quod tu capies de hujusmodi vaticinatoribus. Sic sybilla sacerdos Virg. lib. 6. & augures sacerdotes. Cic. ep. x. lib. 7. fam. qua de re, & ampla nominis sacerdotis significatione videris Scalig. lib. 2. poet. c. 16. Pergit lex. *qui huic ritui adsolent ministrare.* Hi erant victimarij, qui & popæ, & cultrarij, qui victimas mactabant, qui ignem, & reliqua sacrificio parabant. Suet. in Calig. c. 32. Spartian. in Ge. Liv. lib. 40. Valer. Max. lib. 1. c. 1. Sed & Athæneus de hoc, & quod ipsi etiam summi magistratus victimas feriebant, scindebantq; lib. 14 rEant, qui (ut opinor) facere haruspicinam dicebantur,

tur. Cic. lib. 6. ep. 18. *Neque erat ferendum, cum qui hodie haruſpicinam facerent, in ſenatu Roma legerentur: eos, qui aliquando praconium feciſſent, in municipijs praecones eſſe non licere.* Ait lex, *ad limen*, id eſt, ad domum, vt mox loquitur. Fortè etiam notat, quod in liminibus ianuarum multa hujuſmodi malefica committebantur. Vnde & mos tollendi nouam nuptam, ne tangeret limen oſtij domus viri. Ait lex, *nec ob alteram cauſſam &c.* Mali pellendi, etſi non veniant, vt faciant malè. Ex malo enim ſemper affricatur aliquid mali. Sed & leges id cavent, vt deſinant mali eſſe. Et ita cum excommunicatis ſtatuunt canones. Spectat porrò hæc noſtra ad l. 2. C. de pag. & ſacrific. ubi in hoc prohibentur ſacrificia, ne de futuris diſquiratur. Nam ſacrificia ipſa non videtur Theodoſius, auctor ejus legis, interdixiſſe paganis, ſi ſumptus ſubtraxit tantùm, teſte Suida. Et verò princeps prudentiſſimus ſatis id putavit ad extinguenda illa ſacra, qui ſcire poterat, necare eum, qui alimonia denegat. l. 4. de agn. lib. Conſtantius ante Theodoſium juſſit, cunctos ſacrificijs abſtinere. l. 1. C. de paga. ſed ea juſſio deſijt reſtituto paganico cultu à Iuliano. Nec reualuit per Valentinianum, & Valentem, quorum in Codice Theodoſiano illa eſt l. 9. *Haruſpicinam ego nullam cum maleficiorum cauſſis habere conſortium iudico. neque ipſam, aut aliquam praterea conceſſam à maioribus religionem genus eſſe arbitror criminis. Teſtes ſunt leges à me in exordio imperij mei data, quibus vnicuique, quod animo in vivis, ſed colendi facultas tributa eſt. Nec haruſpicinam reprehendimus, ſed nocenter exerceri vetamus.* Valenti hæc adſcribit Paulus Diac. lib. 12. hiſto. miſce. & ego Valentiniano adſcripſiſſem. Sed audiemus ſimile conſilium Conſtantini in l. ſeq. Atque nos hoc tractavimus plenè, ſi permitti debent improbi cultus, lib. 3. de ju. be. & indicavimus etiam de argumento hoc Valentiniani, vt quod cuique liceat eſſe animo erga vivos, id & liceat in cultu, & religione. At Theodoſius, vt dixi, extinguere iſta cœpit, & Iuſtinianus extinxit penitus repoſitâ lege Conſtantij, rejectâ ea Valentiniani. Et itaque leges adverſùs ſacrificia paganorum latæ laudantur. c. 41. 23. q. 4. Sequitur in noſtra, *concremando, &c.* Capite puniebatur antea haruſpex, qui de ſalute principis, vel de ſumma reipublicæ reſpondiſſet, Item & qui conſulviſſet. Paul. lib. 5. ſent. tit. 21. hic graviùs (nam graviſſima poena ignis. l. capitalium. de poe.) pupunitur, etiam ſi nec de principe reſpondeat. Sed per contrarium is, qui conſuluit haruſpicem, non vt olim capite, at mitiùs

lis plectitur. Quam quam hîc punitur omnis, qui conſuluerit haruſpicem: olim verò non niſi is, qui de ſalute principis conſulviſſet. Fortè igitur hîc nihil mutatur in cauſſa principis, ſed ſtatuitur in aliorum, quod ante non fuit. Nam conſulentes de vita aliorum vides non punitos ex illis Tertull. adver. gen. *Cui opus eſt perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi à quo aliquid adverſus illam cogitatur, vel optatur, aut poſt illam ſperatur, aut ſuſtinetur? Non enim ea mente de cæris conſulitur, qua de dominis. aliter curioſa eſt ſollicitudo ſanguinis, aliter ſeruitutis.* Iulius item Firmicus hoc tantùm videtur caviſſe, ne de vita Romani imperatoris, aut de ſtatu reipublicæ reſponderetur. adi eum lib. 2. Mathes. Ait lex, *ſuaſionibus, vel pramijs.* Pretium aliquando intercedat, oportet, ut aliquod delictum admiſſum ſit. l. 2. in fi. de his, qui no. inf. l. 2. de iu. fi. & tradunt ad c. 1. de homicid. lib. 6. Sequebatur in lege Conſtantini, *ſuperſtitioni enim ſua ſervire cupientes poterunt publicè ritum proprium exercere.* C. T. l. 1. & ejuſdem imperatoris eo tit. l. 2. *ad privatam domum prohibemus accedere. Qui verò id vobis exiſtimatis conducere, adite haras publicas, atque delubra: & conſuetudinis veſtræ celebrate ſolennia. Nec enim prohibemus præteritæ uſurpationis officia libera luce tractari.* Hæc ſcilicet privata conventicula ſuſpectaque dominantibus meritò. *Nam ab vllo genere non æquè ſummum periculum eſt, ſi cœtus, & concilia, & ſecretas conſultationes eſſe ſinas.* quod Cato Liv. lib. 34. Sic proſpectum, ne qua ſacra fierent in operto. lib. 39. Notes verò, quid permiſſum à Conſtantino fuerit, & quid ſit a Iuſtiano ſublatum. Reſtat in vtriuſque ſanctione, *non delatorem eſſe &c.* Turpe delatoris nomen. l. 3. C. de jniur. Delatores inimici generis humani. maximum humanæ vitæ malum, & execranda pernicies. l. 2. l. x. C. T. de peti. & ult. dat. & delator. impij, & dijs inuiſi homines. Plutar. in Dio. genus hominum publico exitio repertum, & pœnis numquam ſatis coercitum. Tac. lib. 4. anna. Dion virgis cæcidit, & excoriauit, vt apud Plutar. More majorum puniendos Nerone mortuo delatores flagitavit ſenatus. Tacit. lib. 2. & lib. 4. hiſt. more majorum puniri id eſt, affici extremo ſupplicio. quod explicat Alc. lib. 4. parerg. c. 21. & Faber lib. 2. ſemenſtr. c. 7. Miniſtri (ut puto) ſunt, qui mandatores dicuntur in l. 2. p. 3. & p. 4. l. 22. in fi. l. 23. l. 24. de iu. fiſ. & qui delatorem ſubjecerunt. l. 15. p. 1. eod. Qui per ſuppoſitam perſonam delatori cauſſam dederunt. l. 34. de poen. qui delatori ad rem nuntiandam, prodendamque ſubſeruiunt, Harmenop. lib. 1. tit. 5. & latè l. 1. p. pe.

ad S.C. Turp. inſtigator, exhortator ſimplex non fungitur opera mandatoris. l. 20, de his, qui not. inf. Contra hos delatores, & mandatores aſperrima ſancivit Titus. Suet. c. 8 Pertinax. Herodia. lib. 2. Severus. Herodia. eo. lib. Macrinus. id. lib. 5, Gordianus. id. lib. 7. Aurelianus. ut apud Vopiſc. Nec oblitus Traiani ſum, qui deportandos iuſſit. ut in panegy. Plin. vbi & ritum deportandi legeris. De his exulatum miſſis ad arenas Getulicas habes Martial. epigr. 4. lib. 1. Hodie ſi nulla pœna ſcripta lege eſt, arbitraria erit. Pari pœna cum delatoribus puniri ſubornatores, quos ego mandatores ſupradictos cenſeo, ſcripſit Paul. lib. 5. ſent. tit. 13. & capitalis gladij conſtituta olim fuerat, l. 2. l. 3. C. T. de delat. Non illi, niſi ſub malis tyrannis feruntur. ſub Tyberio, Nerone, Commodo, ſimilibus. Sic illæ adelamationes his mortuis, *Delatores ad leonem*, *Delatoribus metum*, *Delatores de ſenatu*, *Delatoribus fuſtem*. Lampr. in Comm. Eſt verò nomen delatoris ſic odioſum, quia index eſt delator latentis alicujus rei, ut ait Harmenop. Sic nunciatores, & nuntiatio qui delatores, & delatio d. tit. de iu. fi. Sed & quadruplatores dicebantur, qui in premio quartæ partis ejus, quod deferebant, potiebantur. Vt apud Feſt Et itaque iungi nomina ſolitum *quadruplatores & delatores*. Vopiſc. in Aureli. & quadruplatores extinctos dici de delatoribus. Eos extinxiſſe Antoninũ Pium, recitat Capitolinus. De parte octava tradit Harmenop. De dimidia ait l. ult. C. T. de pet. & delat. Et veriatum vtique eſt hic, ſervato ſemper nomine vno. Nam & ante Neronem fuit quarta. Tac. lib. 4. ann. & hunc tamen redegiſſe ad quartam, ſcribit Suet. c. x. adi & Cuiac. ad l. 2. C. de delat. Sed etſi non præmij cauſſa quis deferret, videri potuit delator. Nam ait Tacitus, *eaſdem accuſationes cum premio exercuit*. lib. 2. hiſtor. at contra eſt. l. 2. D. de iu. fi. Et quidem apud alios ſcriptores videntur hi delatores dici qui artem accuſandi factitarent. Et delatio vtique eſt generale verbum ſupra accuſationem. l. 11. in fi. l. 13. de accuſ. tamen delatores apud noſtros hi, qui de rebus ad fiſcum ſpectantibus magis agerent l. 1. de iu. fi. & hos ita, qui fiſco deferunt, ſolos execrabiles eſſe, inquit l. 4 C. de delator. Sollicita omnia tenebat hæc delatorum curioſitas, & avaritia. quod videris eo. tit. C. T. Fiſci enim privilegia plurima ſunt, nec ille vincitur ſub principibus malis, dum vigent delatores. adi. Alc. lib. 8. parerg. c. 6. callida horum commenta erant, interpretationes dicit Tac. lib. 3. ann. fiſcales calumnias Suet. in Dom. c. 9. occultè deferebant, non probabant. ut Cuiacius ad Paulum alicubi notat. Sed verum tamen eſt, & palam accuſaſſe, & arguiſſe,

guisse. Tac. lib. 6. ann. etsi clam frequentiùs, & per calumniam. Videas velim Lucia. de non te. cre. At per se etiam odiosissimum nomen accusatoris est. Et itaque Cic. lib. 2. de off. *iuri hominis, vel potius vitæ hominis videtur, periculum capitis inferre multis. id cum periculosum ipsi, tum etiam sordidum ad famam commattere, ut accusator nominere.* &c. Et sic Verrem ipse accusaturus, excusat se statim ob hoc factum. & nostri doctores vel semper recusant scripto, verbisue instruere accusationem: vel timidè, & non nisi ex caussa id faciunt. Adversùs delatores illud etiam est constitutum, vt puniretur, si sæpius hoc egissent, etiam si delata probassent. l. 3. l. 28. C. T. eo. aliàs non puniebantur, si probassent. l. 8. l. x. l. 12. eo. & apud Harmenop. sicut neque accusatores puniuntur, si non sint calumniatores. l. 1. ad S. C. Turp. Ille porrò non est delator, qui ex officio defert, item qui aliter id facere tenetur, & qui ad vtilitatem civitatis defert. l. 2. ubi & alios casus notat Ang. de iu. fi. quisque. utem deferre hoc crimen tenetur. l. ult. & id fit in vindictam generis humani. quod senties ad l. 6. Ergo hic non est delator. Et de his nimium multa.

AD. L. IIII.

Magicis accincti artibus. Agnoscis illa Didonis. *Testor, cara, deos, & te, germana, tuumq; dulce caput, magicas invitam accingier artes.* Et accingi operantes magica solitos, notas de eodem, *Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.* & Horat. saty. 8. lib. 1. *Vidi ego met nigra succinctam vadere palla Canidiam pedibus nudis.* Ait lex nostra, *aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem* &c. Hîc verò non videtur prohibita magia, nisi per eam fiat istorum alterum. Et hæc fieri posse creditum. Virg. ecl. 8. & Horat. d. saty. 8. apertiùs quomodo fierent, quamquam molimina ista magicarum artium commemorare potiùs, quàm docere solent poetæ. c. 6. 26. q. 2. Recole notata de amatoriis ad l. 1. Sequitur in ista lege, *remedia humanis quæsita corporibus.* Si de remediis per malam magiam quæsitis intelligit: malè Constantinus, quia re per se pessima uti nec in bonũ liceat. & res interdicta omnino, ea nullatenus remebitur. Fisci est thesaurus arte magica inventus. l. 1. C. de thes. Atq; disertè de medicamẽtis per magiam non quærendis, cautum habes c. 2. & c. 3. 29. q. 3. Et etiam Constantini constitutione. n sustulit post Iustinianũ Leo nov. 65.

Et quia hæc fieri bona nequeunt per magiam, & quia nec bonus usus rei malæ hanc probat, sicut malus usus bonę nec eam infamat. cum id genus alijs, quæ ilic Leo. Ceterũ potuit lex ista capi de remedijs, quæ cum non sint physica, habere magiæ, hoc est occultioris sapientiæ, rationem videntur. pro quibus & capitis supplicium irrogare soliti, qúe mox filii Constantini, & proximi successores. Sic enim Ammia. lib. 19. *Si quis remedia quartanæ, vel doloris alterius collo gestaret, ut veneficus reus capitis interibat.* & lib. 29. *anum quandam simplicem intervallatis febribus mederi leni carmine consuetam occidit ut noxiam. Et visus adolescens in balneis admovere marmori manus utriusq; digitos alternatim, & pectori, septemq; vocales litteras numerasse, ad stomachi remedium prodesse arbitratus, percussus gladio est.* Idem anteaque factum a Caracalla, recitat Spartianus, in eos, qui remedia quartanis, tertianisque collo annexa gestarent. Circa hæc arcana versari magiam quandam bonam volunt, quam naturalẽq; contendunt, sed ab occultis nec explicabilibus caussis. Sed an ista sic remedio sunt corporibus? ista dico carmina, & murmura, & libellos. Nam quæ de lapidibus, herbis, alijs corporibus traduntur, ea refutari non possunt. Verùm & de libellis ad collum appensis credidit Pericles. ut apud Plut. Et athæus Bion. ut apud Laert. Indi solam ferè hanc putant medicinam. ut apud Stra. lib. 15. Incantationes esse, & earum laudes tradit Xenoph. lib. 2. de fac. Socr. sed Socratis incantationes sunt sermones sapientiæ, quibus animo medetur. nam quæ in corpore oriuntur infirmitates, a medicis curãtur: quæ in animo, a legislatore. Demonsth. in 2. con. Aristog. *multa remedia morbis corporis, morbis animi remedium unum oratio.* Hocr. in orat. de pa. Et ita etiam capere potes, quod Plato de carminibus obstetricum potentibus notat in Theæt. ut artem illam Socraticam indicet, qua sapiens ille utebatur maximè, ut bona de animis hominum educeret, variis interrogandi generibus exprimẽdo veras rerum sententias ab his, qui eas minime potuissent per se promere, & quasi parere. incantatio serpentum, cuius idẽ meminit in Euthydemo, simile misterium continet: & serpentum nomine insinuat efferatos homines, & se obdurantes adversùs recta monita, & aures obturantes. Sic in Charmide de incãtationibus ad animum loquitur, non ad corpus. Sic omnis Platonica philosophia scripta est. Sed & de serpente quod est. Psal. 58. *Sicut aspidis surdæ obturantis aurem suam, quæ non auscultat voci mussitantium, utẽtis incantationibus peritissimi,* id affirmat, quod de feris hominibus, dixi. Nec adfirmat tamen, serpentes ipsos incantari posse, quamvis & verum credas, quod ilic tradunt theologi inter-

terpretes, utramque obturari ab aspide aurem contra incantamenta. nam ea incantatio serpentum non est, nec cantando rumpitur anguis. Sed psalmus utitur fabula moraliter: ut quod de angue habet fabula, ita peccatores obturent aures incantantibus, rectè monentibus, sapienter loquentibus. ut hæc pulcrè Valles. de sa. phi. Et eadem dexteritate is exponit, quod de fascinatione significat apostolus c. 3. ad Galat. nam vanum est, quod de fascinatione dicitur, quicquid & remedia adversùs eam prodatq; Plinius, sed apostolus quasi proverbio ex vulgi opinione utitur ea locutione. verus namque sit, nec ne, vulgi sermo, unde huiusmodi accepta sunt, nihil refert; sit modò verum, quod dicitur ab apostolo. Etiam fabulis utitur scriptura. Iud. c. 9. & sæpe parabolis, & his similibus ad docendum, ad illustrandum, quod verum sit. Sed redeo ad remedia isthęc humanis quęsita corporibus. Et inquit Apul. apol. 1. *Veteres quidem medici etiam carmina remedia vulnerum norant, vt omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet. nihil enim quod salutis caussa fit, criminosum est.* Recitat Vallesius, remedia carmina dicta a Catone, Varrone, Theophrasto, Aetio, Sereno, Tralliano, Græcis, Latinis, Arabibus medicis, etiam a Galeno. atq;, qui libellus extat in nothis Galeni, non contemnendi auctoris sit, a quo remedia hæc cantionum etiam adstruuntur. Sic ut Ammianus nec mentitus sit, qui, auctoritate medicinæ hæc admitti, scribit lib. 16. Etiam Vlpianus recitat, quod multi cum prædicatione adfirmarent, hæc sibi profuisse, quæ agunt incantatores, sive exorcistæ. l. 1. p. medicos. de extr. cog. Verùm idem hic noster nec medicinę genus ponit: & illos impostores vocat. Neque enim tu *in posterum* leges pro *impostorum* in d. p. medicos. quod nullo sensu, nulla ratione facit Alc. lib. 2. Parerg. c. 23. Nam ut mathematicorum nomen sibi sumebant magi, reliquique, & vulgò ita appellabantur: ita isti incantatores de recepta re nomen cœperunt rei non receptæ. Si quidem exorcistarum munus fuit in ecclesia adiurantium dæmones. l. 6. C. de ep. & cler. ut apud Alc. d. c. 23. quod Salamonis inventum ait Ioseph. lib. 8. antiq. Qua tamen dere velim videas Bod. lib. 3. dęmon. ubi docet, prophetas numquam his usos exorcismis, quibus nunc uti mos est apud multos: nec usam ecclesiam primitivam. Scribit is & contra testimonium Iosephi, lib. 1. Illi autem impostores affectarunt receptum nomen exorcistarum dum & ipsi cantaminibus, sed profanis medebantur. Et hæc damnantur late c. 6, 26. q. 2. *qua alij scelera, isti remedia nominant*, ut sic liceat nobis usurpare verba Tac. lib. 1. hist. *medicorum disciplina condemnat.*

d.c. 6. & insanias censet Plut. in Peri. & si quid valet Lucianus, is ita in philopseude, *per verbula, & incantationes sanitatem operari, non credo.* Plinius autem lib. 28. c. 2. *maxima quæstionis, & semper incertæ est, valeantne aliquid verba, & incantamenta carminum in medendo: sed vtrùm sapientissimi cuiusq; refellunt fides.* Ego sic censeo, ut valeant imò hæc, sed per accidens, & propter opinionem, quam fidentem incantationibus gerit ægrotus. ut in eo Galeni notho exponitur. nam ab affectis animæ sequi affectaque corporis, certum, & receptum. & bonam spem conferre ad rem omnem, non dubitatur. Et itaque legislator noster hìc nihil istorum punierit: qualia, qualia illa demum sint. Sed innocenter facta esse debent tamen. quod mox exprimitur. Ad theologos spectat, de pectoribus hominum superstitiones eiusmodi extirpare, doceréque, falsò iri non ad deum, & ad res, quibus vim medendi dedit deus. Et falsam esse sententiam illam, *Nihil, quod salutis caussa fit, criminosum.* At leges non debent extendere huc suam severitatem, si quid præterea gravius non admittitur. Et sic Bartolus ista capit in foro civili, non in conscientię. Decianus per hanc legem, sed argumentando, scribit cons. 20. lib. 3 pro tuitione corporis, & rerum suarum, & præsertim vniversalis populi posse quem uti arte magica, & incantationibus. Quod quale sit, ex modò dictis apparet. & pleniùs dico lib. 2, de iu. be. Sequitur hìc, *aut in agrestibus locis innocenter*, &c. ubi si dicimusque, Constantinum indulsisse paganorum superstitionibus, nihil est absurdi in verbo nostro. ut intelligis ex not. ad l. præced. Fuit & ipse Constantinus deditus etiam christianus his superstitionibus. ut Baronius in historia ecclesiastica docet. ut turpiter fecerit Zonara, qui illum pietate contulerit magnis apostolis. Sed hæc ad mentem Iustiniani decet accipere. adeoque interpretabimur de eo divino cultu, qui & paganorum quidem fuit, agrorum lustratio. Virg. ecl. 5. & lib. 1. Georg. at fuisse etiam antiquus in ecclesia videtur: necdum antiquatus est. quum deus pro fructibus terræ solenni pompa, & tempore, extra opidorum portas, & in vicis rogatur. Vnde dieśque dicti rogationum. Sed & alijs temporibus extra ordinem fieri hęc vidimus sæpissime in Italia ad avertendas cœli tempestates. Nec dubito, quin hæc disponi, & fieri possint innocenter. Ait lex, *& labores hominum sternerentur.* Et tu audis de Virgilio rursus *hominumq; boumq; labores.* lib. 1. Georg. *Sternit boumq; labores.* lib. 2. Aeneid. adeoq; intelligis, quęstorem illum, aut magistrum scriniorum, qui legem istam (ut eorum id munus erat) dictavit, Virgilii fuisse perstudiosum.

AD.

AD. L. V.

DE aruſpicibus, & mathematicis, quorum hîc mentio, expoſitum antea eſt. Arioli circa aras deorum accipiunt reſponſa dæmonum. c. 1. 26. q. 3. Augures, qui & auſpices, volatus, & cantus ſervant avium, atque ex eo vaticinantur. eo. Habet de his Horat. od. 27. lib. 3. Sed & Cic. ep. 6. lib. 6. famil. ubi & intelligis, augures publicoſque, privatoſque fuiſſe. Nam ait, *ego augur publicus*, &c. Et verò Cicero in collegio augurum fuit. & illud Romæ dignitatis multæ. Sic & ius augurale. vide Cic. lib. 3. fam. ep. 4. 9. x. 11. & in Cato. & in lib. de divin. item Macrob. in Satur. nec enim ad ſolas aves ars eorum ſpectabat, at ab illa una artis ſpecie nomen fuit. Dionyſ. lib. 2. Ait lex, *& vatum prava confeſſio*. Sed vates an priùs fates a fando? aut ſolenni iſtarum litterarum commutatione vatem pro fate dicimus? id de hariolo notant, quod ſit quaſi fariolus a fatis, & fando: ut pluries mutatæ invicem ſunt litteræ etiam iſtæ. Fatuari eos, qui inſpirabantur a Fatua uxore Fauni, dixit Trog. lib. 43. Et fatuos divinare magis, & brutaque magis præſentire, diſputat Valleſius accuratè de ſa. ph. c. 30. vel quia habent divinationem pro prudentia, ut ſapientes habent ſcilicet prudentiam pro divinatione. vel quia & plura illi fantur, & in plura ſic etiam incidant, quæ exiſtant. vel quòd eos occupat faciliùs malus dœmon; & is non quidem cognoſcere futura poteſt, ſed faciliùs poteſt præſentire, quàm homines. Illud fatuorum commune cum brutis eſt, & certius, quod præſentiunt tempeſtates, & id genus alia meliùs, quàm viri ſapientes. Iſta enim afficiunt ſenſus. & qui mente carent, aut affecti mente ſunt, ſenſibilibus magis afficiuntur. Et ita exordia futurorum motuum ſenſus iſtorum magis afficiunt. Iſtam divinationem, quæ naturaliter contingit per compaſſionem cum cauſſis, aut per exordia rerum, nec in fatuis magis damnes, quàm in brutis, audi Virgilium, tempeſtates quomodo prænuncient, *cum medio celeres revolent ex æquore mergi, clamoremq; ferunt ad littora: cumq; marina ſicco ludunt fulicæ*. &c. lib. 1. Georg. illam alteram divinationem, ſi periculum habet, prohibebis & in ipſis fatuis, & in conſultoribus vinci cabis. puta, ſi de capite, aut re alia principis effutiat fatuus, compeſcendus is eſt, ne animi hominum afficiantur malè. in vincula etiam furioſos, non tantùm nocentes, conijcit magi-

ſtratus, ſi aliter contineri non poſſunt. l. congruit. l. divus. de off. præſid. Et ſi quis fatuum de eo conſulat, is ſeverſſimè puniri, atque alius vaticinatorum conſultor poterit. Vates hìc intelligis de vaticinatoribus, qui ſe deo plenos adſimulant. Paul. lib. 5. ſent. tit. 21. de divinis, qui itidem ſe deo plenos ſimulant, & futura conjectant. c. 1. 26. q. 3. Sentis item ad hęc legis noſtræ illud Virg. Aeneid. 6. *deus ecce deus. cui talia fanti.* Et Luca, lib. 5. *at q, deum ſimulans*, &c. *Inſtinctam ſacro mentem teſtata furore*, &c. Pergit lex de Chaldæis, & magis. *Chaldæi non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati.* Cic. lib. 1. de divin. Etſi dicit Tac. ann. 16. *Chaldæorum arte famoſus.* Et horum meminit Tacitus ſæpe. *Chaldæorum promiſſa.* annal. 2. *quæſitum per Chaldæos in domum Cæſaris*, annal. 3. *objiceret Chaldæos, magos, interrogatumq, Apollinis Clarij ſimulacrum ſuper nuptijs imperatoris.* ann. 12. *Scribonianus in exilium agitur, quaſi finem principis per Chaldæos ſcrutaretur.* eo. hæc videlicet ſtudia Babylonij, & tota Chaldæorum gens ſedulò, & primi tractarunt. c. 11. diſt. 27. *Nec Babylonicos tentaris numeros.* Horat. od. 11. lib. 1. *Chaldæos, ceteroſq, divinos.* Cic de fa. De magis item Tac. lib. ann. 6. 12. 16. & ſacra eorum obiecta, & ſuperſtitiones memorat. De his verò omnibus Claudian, in 4. conſul. Honorij. *Te Perſæ cecinere magi, te ſenſit Etruſcus augur, & inſpectus Babylonius horruit aſtris: Chaldæi ſtupuere ſenes*, &c. Et in 6. conſul. itidem meminit Babyloniæ curæ ſtellas ſalubres ſpondentis. Et de augurali diſciplina ab Etruria Livius. Et aruſpicibus multam tribuere fidem Italos conſueniſſe, ait Herodia. lib. 8. Magos ſacri iuris interpretes in Perſia extitiſſe, adeoque divinationibus plurimum occupatos, tradunt omnes. De ipſis, & ſapientia ipſorum vide Laërt. lib. de vi. phi. in prin. Magorum prodigioſa miracula, & medicamentorum vires: & magodia poema, quo ea referuntur, nominat Athæneus lib. 14. Magiam fraudolentiſsimam artium, natam e medicina, adiunxiſſe vires religionis, & artes miſcuiſſe mathematicas, ait Plinius. lib. 30. c. 1. unde intelligis, cur hoc titulo de maleficis, & mathematicis adſumpti ſint magi. Sequitur in noſtra lege, *ſileat omnibus divinandi curioſitas.* Sed & omnis ſileat hæc curioſitas. Quoniam *omnes artes huiuſmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ vitandæ penitus.* c. 6. 26. q. 2. *nec divinationes aliquas in aliquibus rebus quis obſervare præſumat.* c. 1. de ſortileg. *Quid craſtina vulneret ætas, ſcire nefas homini.* Statius lib. 3. Thæb. ubi latè contra hæc. & Horat. *Tu ne quæſieris, ſcire nefas*, &c. Sed audi de his hominibus Tacitum 1. hiſtor. *genus hominum potentibus infidum ſperantibus*

bus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. Sed audi fructuſque alios, *circa deos, ac religiones negligentior Tyberius, quippe addictus mathematica, perſuaſumq́, plenus, cuncta fato regi.* Sueton. c. 69. Verum contra noſtram generalem illam definitionem habuit in ſententiis ſuis Pythagora, *Diuinationem omnem honora*, ut apud Laërt. Et Stoici diuinationum itidem ſpecies omnes adprobarunt. ut mirum non ſit, ſi iuriſconſulti Stoicorum, ut creditur, alumni iſthæc tractarunt quaſi rem ſeriam. Contra autem Cynici, Epicureiq́; & irridebant omnia, & reiiciebant. fuerunt ſilicet, qui irriderent, ſed retinenda crederent tamen propter patrios mores. Et itaque ipſi reiecti Epicurei, & eiecti ex urbe, qui ſua cum philoſophia rem convellerent publicam. ut tractavi lib. 3. de iu. be. Peripatetici inter hos medii extitere, quos ſequimur hodie, quiq́ue ſic tradiderunt, ut quæ divinationes referri poſſunt ad cauſſas naturales, & ſunt de naturalibus rebus, eæ probari poſſint, ac verò debeant. & itaq́; divinationes medicorum, nautarum, aliorum, de quibus antea diximus, & dicemus adhuc. At illæ augurales, aſtrologicæ, reliquæ, quarum artificioſæ ſunt rationes, valere nequeant. Non captabat augurium Abrahamus, ſed ſacrificij reverentia aves abigebat Genes. 15. Et illa Ioſephi, *An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* quæ itidem in Geneſi eſſe dicuntur, nec adfirmant, Ioſephum fuiſſe augurem: ſed qualis vulgo apud AEgyptios credebatur, talem eum nominant ad terrendos fratres eius. Non item referas ad augurium ea, quæ Eliſæus agit cum rege, & vaticinatur ex iaculatione terna, quaſi alius aliquis Chalcas cum ſuis illis decem aviculis. nec enim, ut Chalcanti, oblata illa prophetæ Eliſæo ſunt, at iuſſa, & intellecta ante quam facta ſint, & curata regi in ſignum, quod non eſſet niſi ter percuſſurus Syros: cum non ſagittas reliquas ex verbo prophetæ, at duas tantum iaculatus fuiſſet. Quę apud Valles. Et vero ſic legimus in ſacris libris, *Ne vos convertite ad pythones, & ariolos.* Leu. 19. & c. 20. *præſtigiatricem ne ſinito vivere.* Exo. c. 22. *Ne inveniatur in te divinationibus vtens, planetarius, conjector, præſtigiator, utens incantatione, ariolus, necromantis.* Deut. 18. *peccatum divinationis eſt rebellio.* 1. reg. 16. excidit pythones, & ariolos Saul. 1. Sam. 28. *inſpectores nugarum, conſultores mathematicorum, phanaticorum, augurum, aruſpicum improbate.* c. 4. 23. q. 4. De phanaticis vide. l. 1. p. ult. de ęd. ed. Pulſos urbe, Italii mathematicos, habes Tac. ann. 13. hiſt. 2. Tertull. de idol. Suet. in Vitell. c. 36. Et de Vlpiano Rufinus in coll. leg.

Iud. & Ro. sic scribit, *interdicta mathematicorum impostura. nec hodie primùm, sed vetus hac prohibitio est. extat S. C. ut mathematicis, Chaldeis, ariolis, & ceteris, qui simile incertum fecerunt, aqua, & igni interdicatur, omniaq; bona eorum publicentur. sepissime deniq; interdictum est ferè ab omnibus principibus, ne quis omnino huiusmodi ineptijs se immisceret. Et varie puniti sunt, qui id exercuerunt.* Audivimus de exilio. lex nostra ait, *etenim supplicio capitis* &c. Hoc verò, ut dixi, solùm in caussa principis, & reipublicæ, expositi Paulus. & ita etiam Vlpianus in eo fragmento subdit, *nam qui de principis salute, capite puniti sunt, vel qua alia graviori pœna adfecti.* Sed Constantius hîc inquit, *quicunq;.* Paulus de reliquis ita, *civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicuius rei corrumperentur, vel certè ex eo populares animi turbarentur.* & Modestinus l. 30. de pœ. *quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur.* De magicis terroribus Horat. in utraq; ep. lib. 2. Sed & vivos exuri magos, scripsit Paulus, quę erit gravior illa Vlpiano dicta pœna. Sic & pœna ignis supra l. 3. Et iterum gladii in p. eadem. Inst. tit. ult. de saxo iactus. Tac. 2. an. Servis erat ipsorum supplicium crux. Paul. d. tit. 21. In pœnarum autem varietate iudex eligit, quam infligat. vt per Bar. ad l. 1. de effr. Vita certè non est relinquenda istis hodie maleficis: ut docuit scriptura sacra. Magos comburi audis & de asino Luciani. Nero maleficos (hos puto Christianos dici, genus hominum superstitionis novę, ac maleficę. ut ait Suet. in Nero. c. 16.) teda, & papyro, & cera super vestiebat, & ad ignem motos comburebat. ut vetus commentarius ad illud Iuvenalis, *tunica punire molesta:* quę hęc vestis erat. Et de Christianis consumptis igne, & in vsum nocturni luminis ustis per Neronem etiam Tac. ann. 15. Puto, & Martialem dixisse de ea tunica epigr. 25. lib. x. *Nam cum dicatur, tunica præsente molesta, ure manum*, &c. Non de ea dicit epigr. 42. lib. 4. *Nec scombris tunicas dabis molestas:* sed de chartis ineptis, amictu scombrorum, thuris, &c.

AD L. VI.

ELEMENTA turbare. Virg. 4. Aeneid. *sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro.* & in Pharm. *carmina vel cœlo possunt deducere lunam,* & Claud. de be. Get. *Thessalidas patrijs lunare venenis incestare*

incestare iubar.&c. ire vagas quercus, & flumina stare coegi. Sed omnium plenissimè Lucan.lib.6. & Virgilius eodem Æneidos apteque ad id, quod sequitur in lege nostra, *Nocturnosq; ciet manes.&c.* Adde his odas Horatij in Canidiam. Poetæ scilicet hæc habent præcipuè ad alteram poeseos virtutem, admirabile; quod vix est ex alijs, quàm ex his supranaturalibus, interim vt altera virtus non amittatur, verisimile. Admirabilia enim hæc magica sunt, quæ superant omnem humanam potestatem, & sunt simul verisimilia, sed his, qui in illa religione vivebant, & hærebant, quiq; eam deorum dæmonum vim agnoscebant. Nam hodie ridicularia hæc sunt nobis, quę à poetis nostris de ethnicorum superstitionibus proponuntur. Et per ea perditur virtus vtraque poetica: tantùm abest, vt vlla laus pariatur. Sed hæc ego adversùs nostros dico de dijs illis gentium. Etenim magicas, & dęmoniacas artes sentimus hodieq; esse. Virgilius sic, *atque satas aliò vidi traducere messes.* Et in x i i, tab. *Quei, alienas. fruces. excantassit. quei. ve. alienam. secetem. pelexerit.* Seneca tamen lib.4. nat. quęst. c. 7. *rudis adhuc antiquitas, & attrahi imbres cantibus, & repelli credebat. Quorum nihil fieri posse, tam palam est, vt huius rei caussa nullius philosophi schola intranda sit.* Et ita etiam Apul.apol.1. *magia, quantum ego audio, res est legibus delegata, iam inde antiquitus propter incredundas frugum illecebras interdicta.* Eius legis xii. meminit etiam Aug.lib.8.de ciu.c.19. Et judicij ex ea exerciti inter Albinum, & Furnium Liv. Et Pausania ait lib. 2. vidisse se homines, qui sacris, & incantamentis grandinem averterēt. Et ego scio, demones ipsos idoneos fuisse & esse, qui miracula supra naturam rerum longè maxima edant, & edidisse sæpius. Sed facere eos isthæc, & id scio, ex permissu dei. Atque ita de permissione dei factum cum Iobo. Ita sanari ægros à divinis, & sanis immitti morbos, dixit Augustinus, & relatum est c.vlt. 26.q. 5. quicquid Hippocrates refuderit numquam in dęmones morborum caussas. Qua de sententia Matthæus Gentilis pater meus, quum in puella quadam ægrota adversùs deum illum medicorum aliquid suspicaretur, consuluit medicum alium seniorē, Ianum Matthæum Durastantem. & is ad patris epistolam (deformatam nunc impressam) edidit librum, in quo, dæmones esse, & esse aliquando morborum caussas cum theologis, & Platonicis asserit. contra verò negat vtrunque cum Peripateticis, & medicis. Sed fuerunt medici tamen Peripateticis non addicti, qui imò crederent, morbos & à doemonibus esse. vt ex Avicenna ait Valles, de sa.ph.c.28. & pater meus Fernelium nominabat in 2. de abd. re.ca. Avicennam hęc non morabatur contentio: quia & à doemone

 contin-

contingentis morbi curatio sit per ablationem eorum qualitatum, quæ inductæ humoribus a doemone morbum induxerunt. Sed id tamen non adprobat Vallesius: at ipsumque doemonem fugandum, caussam primariam, docet; aut non sanatum iri ægrotum. Nec probat tamen remedia, incantamenta carminum. Sileat Seneca, nisi ex titulo libri sui de naturalibus facultatibus scribit de rudi antiquitate, imò de opinione omniũ sæculorum. Quamquam si dicimus, fieri illã frugũ traductionẽ, nec quid aliud simile posse, quod hic notetur in lege nostra: non tamen aut accusat legislatores nostros Seneca, aut accusare potuit: qui non habent docere vulgum, quomodo fieri nihil istorum valeat, quæ ipse vulgus credit; sed de prælidio prospicere, & solatio, per quę tutò agere posse videatur. Et hoc est, pœnas cõstituere in eos, qui facere nos intutos posse creduntur. Sic & medici ægris indulgent, præsertim melancholicis. quod de se testatur ille, qui epistolę argumenti hujus, & Galeno adscriptę, auctor. & nos latiùs lib. 2. de. ju. be. Et quidẽ ad ipsos quod attinet, qui hæc patrare dicuntur: aut ea efficiunt, & puniuntur meritò. Aut non efficiunt, & nec lege teneantur, quę punit, eũ, qui *excantassit*, id est, traduxisset cantando. Imò etsi puniantur nec quidquam efficientes: & id merito meritissimo ferent, qui contra interdicta legum egerunt, & malè afficiunt credulitatem humanam, & ipsi devoti doemonibus semper sunt. Quod Leo nou. 65. Nostin de te Leo. te arcanæ etiam illius doctrinę amatorem dicit Zonara, quæ per incantationes futura divinat. Et itaq; videntur aniculę etiam illæ, quas strigas vetusto vocabulo etiamnum nuncupamus in Italia, non immeritò plecti sæpius. At noto, casum illum vnum esse extra difficultatem, si nihil istæ egerint muliercule, quæ volitare, cum demonibus esse, fatentur, vt hæ non sint puniendę. siue quia illusum eis sit; sive quod diaboli facta puniri in afflictis istis non magis debeãt, quàm si furiosus, demoniacus peccaverit. At si quid ipsę fecerint, quęres de his bisariã. Aut quasi de teterrimis apostatis, aut vt de maleficis. Et primo casu cum deum abnegent & Christo renuncient, & diabolo mancipent se, quid non puniantur summo supplicio? C. de apostat. Secundo autem casu distinguitur rursus, quod aut maleficę in alios sunt, vt quę dicuntur fascino, aut alijs veneficijs conficere infantes: aut in se maleficę sunt, vt quę ad cœtus quosdam nocturnos mixtę hominibus, & doemonibus conuenire in res veneris narrantur. Et illę quidem morte quoque afficiantur rectè, quę mortem intulerunt. Hoc videndum est tamen, vt ita sit. nam de fascinationis vanitate indicavi antea. Et tamen non esse vanitatem, verius fortasse est.

Nam

Nam etsi vulgi hominum, & muliercularum opinionē hanc de fascino esse, dicit Mercurialis lib. 1. de mor. puer. c. 3. tamen rationes dum affert, quibus ostendat, quì id fieri possit, si verum est, fieri: hoc nobis credendum relinquit, vt vanā eam opinionē non credamus. Ex Plut. 5. Symp. 7. & ex Tralliano, quos scriptores gravissimos nominat, & de fascinatione disseruisse copiosissimè, ait, tribus potissimùmum modis fascinationem posse contingere, tactu, halitu, visu. Nec de primis dubitari potest, quin inficere possint. Sed nec de visu: si qui laborant ophtalmia intuentur alios intentè, idem hisdem malum cōmunicant. Ethęc etiam Vallesius censuit. Morbida corpora sic inficiunt. Sic mulieres menstruatę. Sic vetulę: nam harum corpora impura sunt. Et vitio quoque animi spiritus fascinantium corrumpi, perspectissimum esse, & rationi consentaneum, inquit Mercurialis. Videmus id in moerentibus, irascentibus, quorum & tota corpora commoventur. Quid ni etiam, qui invidia fervent, eis fiant spiritus venenati, & hi mitti in aliorum corpora possint? in corpora pręsertim puerorum, & mulierum, quę sunt scilicet tenerrima, & nec ab animis infirmissimis sustinentur. Fascinus aerem inficit. etiam Heliod. lib. 3. Et non solùm Plinius, sed Serenus etiam, Dioscorides, & alij medici remedia adversùs hęc reliquerunt. Quid ergo? silentium Hippocratis, & Galeni de his est argumentum contra dicta reliquorum? Etiam si eorum omnia opera non habeamus? Et quod item Vallesius argumentatur a ridiculis remedijs quibusdam proditis; vt, effacinationem rem esse nullam, adfirmet: nec firmum est argumentum. Quoniam si effascinatio, tamquam ex altera caussa, est ex infirmitate effascinatorum: remedia illa non sunt ridicula, quę istam tollunt, & contemptum fascinantium inducunt. Non timebit mulier fascinationem, & suam infirmitatem omnem longè depellet, si remediis illis fidit, illa non credat ridicula. Desputionis, ad hęc venefica arcenda, meminit Theocri. eidyl. 6. & 7. Res turpes, quas collo infantis appendere itidem pro remedio consueuerunt, vt est apud Varronem, eam rationem habent, quod avèrtunt oculos effascinantium ab aspiciendo infantes, & tamquam fœda, & turpia faciant, ne vetulæ illæ attentè tueantur. Et ita Mercurialis. qui res turpes Varronis sic interpretatus est quamcunque rem turpem, aptam ad avertendum intuitum. Et hæc fusiùs paullo, quàm aut operam hanc nostram, aut meam deceat iurisconsulti professionem. Si igitur nocent per animi vitium, & nocendi cupiditatem, non per solum corporis morbum, hæ merito puniuntur. Quæ ad cœtus illos doemoniacos egredi dicuntur, hæ

 nec

nec immerito plectentur meâ ſententiâ: quæ eſt & aliorum, & Ioannis Bodini latiſſimè in libris doemonomanię. Sed Alciatus tamen in contrarium ſtat. lib. 8. parerg. c. 22. & cum eo adverſus Bodinum nunc alij quidam, Et quęſtio illa in primis tractatur, ſi poſſibile ſit, quicquid iſtæ circa ſuos illos congreſſus loquuntur. Si enim ſit quid impoſſibile, eius confeſſio proculdubio ad poenam ipſas non ducet. Rom. conſ. 113. pro deciſione. Ergo Alciatus negat poſſibile, vt vera corpora, quæ proficiſci dicuntur, momento invocationis nominis IESV, vt aiunt, evaneſcant. Quod nihil eſt. Si enim dæmones non poſſunt ſubtrahere momento rerum aſpectum: quod multis modis faciunt omnes: quid eos poſſe dicemus? Bodinus affert, quod ſi angelus octaui cœli ſic mouet tantam molem, ut ea ſpatio horæ conficiat ſupra centies centena milia paſſuum, adeoque minuta horę ſupra quàm ambitus eſt terræ vniverſæ: quid non millia paſſuum centum, ducenta, mille momento aſportet doemon corpuſcula iſthæc? Addunt, illa de tranſlatis ſegetibus impoſſibilia per naturam. Quod & falſiſſimum eſt. Nam & plantas, & herbas alibi ſatas, natas, ſæpiſſimè ferunt aliò agrorum, & hortorum cultores. Atque id, quod lentè faciunt homines aliquando, id celeriùs faciat doemon. Aiunt illud impoſſibile, ut corpora exierint per rimulam aliquam: quod ſtrigæ tamen affirmant. Sed quid non hoc illuſionem illis factam dixeris, & imò per apertas ianuas exiſſe ipſas? Sic alia impoſſibilia ad illuſiones referre, promptum eſt. Nec tamen ſtrigas excuſabis, ſi quod factum adfirment non impoſſibile, & contra naturam, quod dignum pœna ſit, etſi hæc impoſſibilia admiſcent, quæ illuſiones ſint. Ecce, fatetur aliqua, ad infantem noctu ingreſſam per feneſtræ rimam, & eum necaſſe. Tu ne abſolues ſtrigam, quia impoſſibile mixtum confeſſioni eſt? Cur non divides, & abijcias impoſſibilia? certe ſic reijcitur pars confeſſionis, quæ eſt contra præſumptionem. ut eſt magis communis opinio. Alex. conſ. 39. lib. ult. Ego ſequi Bodinum malo, qui rem iſtam tam multis rationibus, auctoritatibus, rebus judicatis conficit, & poenam decernit. Diſceptatur, ſi tantùm pacta ſtriga ſit cum diabolo, nihil vltra fecit mali. Et qui iſtam puniri extra ordinem volunt, id adducunt, quod hodie propter conatum ſic pœnæ ſunt. Sed hîc delictum eſt atrociſſimum. Item non hîc conatus eſt, at conſummata apoſtaſia. Addunt mox, parcere oportere deceptis à diabolo vetulis his, & delirantibus. Ego, deceptionis ejus prętextum non eſſe excuſationi vlli crimini, video. Quod ſi ex morbo aliquo fieri iſta mulierculis his, ſeriò adprobent medici: tum eas à tribunalibus ad valetudinaria rectè re-

remittimus. Et hæc ego breviſſimè de his, copioſas ſcriptiones alij habent; qui videndi, vbi in praxim, & concertationes iudiciarias ventum erit. A nobis capita tantùm ſunt expoſita, & aditus ad reliqua factus eſt. Sequitur in lege noſtra, *manibus accitis*. Sic ſcilicet in Theodoſiano, & alijs. Et Suet. Ner. c. 34. *Facto per magos ſacro evocare manes tentavit*. In alijs eſt *inanibus*. Et quidem ſic Tac. 2. ann. *iuvenem improvidum, & facilem inanibus ad Chaldæorum promiſſa, magorum ſacra, ſommiorum etiam interpretes impulit, tentatus, vt infernas vmbras carminibus eliceret*. & in c. 14. 26. q. 5. vt hinc deſcribitur, habes, *doemonibus accitis*. Spectant verò hæc ad necromantiam. Et eam interdictam, jam oſtendimus. Quæri autem ſolet, ſi re vera adſunt advocati mortui, an ſpectra illa ſint diabolica, quæ apparent. Quę licet quęſtio nihil ad nos pertineat, qui ſemper punimus necromantas: tamen ne hîc ſim mutus, dico, me minus probare diſputationem c. 14. 26. q. 5. Et ſi librum eccleſiaſtici recipimus in canonicos, dubia opinio noſtra non eſſet. Nam in eo certè eſt de corpore Samuelis c. 46. in fi. qui evocatus à Pythoniſſa lib. 1. Sam. c. 28. Imò ex hoc canonico libro Valleſius ſic mecum contendit, quoniam ille ibi Samuel concionatur ſanctiſſimè de verbo Dei, non id facturus cacodæmon. Adde tu, quod non eſt pythoniſſa, quæ illum nominet Samuelem, ſed hoc facit libri auctor, & pluries. Et ſi ſpectrum fuiſſet, non verbulo fuiſſet vno indicatum? Scio, diabolum transfigurare ſe in angelum lucis: ſed numquam id facere, niſi ad majus malum. Sic Chriſto verum perhibuit teſtimonium Matth. 8. Mar. 1. Luc. 4. & Paulo act. 16. Sed auctoramenti gloriam affectatus: ex quo, tamquam à diabolo, minus crederent homines teſtimonium: quaſi colluſio hęc foret potiùs Chriſti & Satanę, aut ſi credidiſſent, hoc ipſo peccaſſent, quod diabolo credidiſſent, & deſinerent etiam credere, ſi diabolus auctoritatem ſuam poſtea denegaſſet. Cum Samuele autem quid voluit? Num docere, petendam à mortuis veritatem contra legem dei? at clamat, perituram Saulem, qui deflexerit à mandatis Dei. Sed mitto, id quærere. Nam fortè callidior, & tectior fuit diabolus, quàm vt capi, aut retegi nunc à me poſſit. Audiamus aliquid, cur credatur ab alijs, ſpectrum fuiſſe illud diabolicum, non Samuelem. Et aiunt Samulem non permiſſurum fuiſſe, ſe adorari. At non omnis inclinatio in terram, & incuruatio eſt illa erga homines interdicta adoratio. Aiunt, Samuelem, qui cum Abrahamo erat, non dicturum fuiſſe impio Sauli, *cras mecum eris*. At de morte dixerit Samuel, non de loco mor-

tuorum'. Et ita Tremelius etiam, & Iunius: qui tamen & ipsi dicunt spectrum diabolicum. Aiunt, non esse sub potestate diaboli, adeoque nec pythonissæ servæ ejus, trahere sic viros iustos. Et hoc fuisse callidum illic consilium diaboli, ostendere, viroſque dei cultores in sua esse manu post mortem. At, etiamne Christum portatum à diabolo per montium, & tectorum summa sic facimus sub illius manum? etiam Iobum lævissimè percussum? Hæc omnia referenda sunt ad permissionem dei, qui animam Samuelis sic apparere permisit aut in corpore proprio, aut alio tunc adsumpto. Vt de his corporibus scribitur circa ea, quæ visa Abrahamo Gen. 18. & in morte domini. Matt. 27. Respondent ad id, quod verè prophetatum de Saulis, & filiorum ejus morte, & exscidio exercitus Iudæorum traditur, non magnum, nec mirum fuisse, si imminentia illa præcognoverit perspicacissimus satan. At damus quidem, ex signis præcedentibus acutiùs cernere satanam sequutura. Hîc tamen quæ signa erant, etiam ruinæ castrorum? Moriturum quem, & die quidem certò, medici prædicunt, sed ex eo, quod vident in corpore. Ruituras ædes, vrbes significant sic & animalia. Plin. lib. 8. c. 28. Interim verò constat, hoc vti deum argumento, quod demones in idolis non sint dij, quia ignorant futura. ut adversùs astrologos movet Erastus alicubi. Et sic etiam Pacuvius, *Nam si qui, quæ eventura sunt prævideant, aquiparent Iovi.* Et hoc ergo, quod non benè refutatur, probat nostram opinionem. Et hęc satis contra d. c. 14. Ait lex, *natura peregrina.* & seq. *Humani generis inimici.* & l. vlt, *Salutis communis hostes.* Ait, *feralis pestis absumat.* Quod sic intelligi potest, vt feris bestijs consumendi obijciantur. Nam & *qui sacra impia, nocturnáue obcantarent, obligarent, aut cruci suffigantur, aut bestijs obijciuntur.* Paul. lib. 5. tit. 23. feraleſq; angustias dixit pœnam paricidæ Iustinianus in p. alia deinde. Inst. tit. vlt. Sed & ipsa crux ferale lignum dicta Minutio in Octav. Potes & de igne accipere. Vt de poenis notaui ad l. præced. Dixit lex, *ventilare* quod est deliberare, proludere. Verbum tractum à gladiatoribus. adi Fab. lib. 2. Sem. c. 11. Ventilare arma pro vibrare sic Martial. epigr. 32. lib. lib. 5. Ventilare cadaver in p. sed & qui. C. de La. li. to. est ventum facere cadaveri, muscas ab illo abigere. Sic mos fuit. adi Moschum in epithap. Adon. & Dion. in Pertin. Sed & viventi, & dormienti. Suet. Aug. c. 82. *Et æstuanti tenue ventilat frigus supina præsmo concubina flabello.* Martia. epigr. 40. lib. 3. ex quo facto sumpsit fortè Anaxila comædię suę nomen Ventum facientis: de qua Athęneus. lib. 12. & vnde Teren-

rentius forte duxit in ſuam Eunuchum, quod ventilando virgini eſt alicubi. Ventilare leges eſt expendere in c. 2. 35. q 5. Item dixit lex noſtra, *vt quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos*. Sic veneficijs, & devotionibus tentatus, & extinctus Germanicus. Suet. Calig. 3. Ego docui lib. 2. de iu. be. ſi ad jus belli artes iſtę pertinent, nec ne. Et arduam quęſtionem, nec definitam vel à theologis, vel à iuriſconſultis, ſi licet maleficijs per maleficia obſiſtere, ait Bodinus lib. 3. doemon. Sed rectè cum pluribus, & ſanioribus definit, non licere. Quod ego tamen explico latiùs d. lib. 2.

AD. L. VII.

DE jure tormentorum, in quas perſonas adhiberi ea poſſint, hìc notes breviter. Reſiſtere quæſtionibus oportere, quòd & dolorem fugientes multi, in tormentis ementiti perſępe ſunt, moriq́ue malverunt falſum fatendo, quam inficiando, dolere. Et in caſu contrario. Vt apud Cic. in Partit. plerique obſtinati, & pleriq; molles. l. 1. p. 17. de quęſt. & de obſtinatione Ægyptiorum, & Cappadocum in propoſito vide Amm. lib. 2. & vet. ſchol. in Perſ. Et vtrunque hoc vitium conſiderare leges ſolent. l. 8. de cond. inſt. Sed & de liberis hominibus quęſtionem haberi, leges Romanę vetabant. Salluſt. in Catil. itaque quod apud Athænienſes, & Rhodios etiam liberi, cruciq́ue torquerentur, acerbiſſimum ait idem Cic. in Part. jure autem, quo vtimur hodie, non ita vivitur. Et poteſt ius videri contra l. abſentem, de poen. nec enim dubium eſt, quin & multi torqueantur innocentes. Sed præclarè Aug. ep. 159. *inquirendi, quàm puniendi neceſſitas maior eſt. ad hoc enim & miſſimi homines facimus occultatum diligenter, atque inſtanter examinant, vt inveniant, quibus parcant*. Nunc excepta tormentis corpora honoribus præditorum. ut ait noſtra lex. Illa verò notantur l. 11. 16. 17. C. de quæſt. Sed & quædam crimina demonſtrantur legibus, quum nec illis honoratis parcitur. hac l. noſ. & l. x. D. de quæſt. & l. 1. C. & l. 1. C. T. In lege noſtra ſic conſtituitur, quòd pertineat hoc ad ſalutem principis, in comitatu eius iſta non fieri. Comitatus ſunt comites, & famulitium. Vt ad hanc legem Alc. in tit. C. de excuſ. artif. Ait lex, *in comitatu meo, vel Cæſaris*. Conſtantij hæc lex Auguſti, quum Iulianus eſſet Cæſar, Eſt Cæſar deſignatus ſucceſſor imperij.

Spart. in Vero, & ita in l. 6. p. vlt. de ju. fi. & hic etiam, vt censet Duar. ad prin. pand. c. 1. Et Cæsar itaque nec habitum augustalem gerebat: nec aliam potestatem habebat extra quam contulisset in eum imperator. Habitum imperatoris primus induxit Diocletianus: quum antea chlamide purpurea solum distingueretur imperator à reliquis. ut per Eutropi. lib. x. De calceis coccineis imperatoris Zonar. in Porphyrog. Paul. Diac. hist. mis. lib. 18. Etiam de his pedum insignibus Pachy. lib. 2. De calceis Cæsaris Niceta, item Nicephorus. Hi scilicet Græci hæc notant diligenter. Imperator cinnabari subscribebat, Pachym. lib. 8. litteris rubris. Niceph. lib. 4. vbi etiam, quod imperator subscribebat cum mense, & indidictione. Adde de his Brisso. lib. 3. de formul. Viridi colore vtebatur Cæsar in subscribendo. Nicet. Qui & de Cęsaris corona. De qua & Zon. in Copronim. Sed & Cæsaris nomen videtur dignitatis tantùm fuisse, non etiam successionis, ex Zon. in Niceph. Pho. Erant, qui nobilissimi dicebantur, & infra Cæsarum dignationem erant. adi P. Diac. hist. misc. lib. 22. & lib. 23. & neque hoc semper successionis nomen. Quod de Zonaraque cognoscis. Et de eodem alia plura nomina dignitatum nova in Leo. phi. in Alex. alibi. Nobis hæc satis. Ait lex, *aut enarrandis somnijs &c.* De his attigit Virg. lib. 7. *At rex sollicitus &c.* Et Lycophr. Alex. de eodem more cubandi super pellibus ad somnia hæc captanda. Et in Ægypto super fœtentibus balenis. De quo & Odys. 4. *Et Celtas apud virorum fortium busta abnoctare, vt oracula capterent.* Tertull. de ani. Dicebat porro Sylla, nihil certius, quàm præsignatio per insomnium. Plut. in Syl. Iosephus, Daniel somniorum interpretes quibus non dicti? extat Aristotelisq; libellus de divinatione per somnum: vbi, eam non vanam esse, tradit, & habere aliquam rationem, & consensum plerorũq; omnium. In hoc valde multus & Cardanus est, vt istam sententiam de somnijs adfirmet, & volumẽ in eo edidit. Mitto alios. Sed vides, contra hìc statui in lege nostra. Et Nicetas sic scribit, *Auspicia iamdudum obsoleta, auguralis superstitio, somniorum interpretatio. Soli qui è pelui diuinant, & astrologi super sunt adhuc.* Homerus quid sibi hìc volverit, incertum videri potest. Et vero ipse auctor scepticæ sectæ nihil adfirmantis: vt Suida me monuit. Quæri autem de eo hoc potest propter somnium Agamemnoni à Iove immissum Ilia. 2. quod falsissimum fuit, Itaq; id voluerit pœta significare somnijs fidere nec reges oportere, quorum somnia veriora aliorũ credebantur. Macrob. lib. 1. Somn. c. 3. Sed quidam volunt, nihil falsi in Iovis verbis, quẽ mentiri deum, nefas: at in verbis somnij. Id tamẽ idẽ

ferẽ

ferè est: nisi fortè distinguunt inter somnium a deo immmissum, & aliud, quod non a deo est. Alij in Iovis verbis mendacium evincere se credunt. de quibus apud Arist. in fi. lib. de poet. quod si est, certè somnia spreuit Homerus. Nos verò, si de Homeri testimonio contendimus, non reprehendemur: cum idem fecerint sæpe nostri iurisconsulti, & ceterarum doctrinarum omnes professores semper. Et ita igitur cum Homero nos somnia spernimus. non ea tamen, quę naturalem præsensionem habere possunt. Et de quibus Aristoteles, & medici. Naturales præsensiones dormientibus melius, quàm vigilantibus esse, volunt. Sic silicet ut alia animalia pluvias præsentiunt melius nobis: ita & nos dormientes sentimus futuras tempestatum mutationes: & ex eo corporis sensu phantasma, & somnium est. Habet somnus eam rationem ad vigiliam, quam tenebræ ad lucem habent, adeoq; ut est sensus eorum acutior, qui in obscuro, & silentio agunt: ita etiam leuissimos percipiũt motus, quos vigilando non percipit distractis luce in plura sensibus. ut apud Arist. c. 1. Medici multum sunt in somnijs. Et ita Aristoteles ait, medicorum elegantes dicere, somniis valde intẽdere oportere. Et ita etiam Hippocrates de insomnijs scripsit, aut alius, quisquis ille vir fuerit, non contemnendus, ut quem reliqui deinceps medici sunt in hoc argumento imitati, obseruante Mercuriali in censura operum Hippocratis. Ille somnia partitur in missa diuinitùs, ut quæ de urbibus, populis, priuatis futura annunciant: & in corporis affectiones. De prioribus esse, qui iudicent ex sua arte: de secundis videre medicos. Et hæc esse aut ex astris, aut ex terra, aut ex cibo, aut ex habitu, aut ex actione, & similibus, quę somniamus: ut ille explicat. Si somnia diurnis actionibus aduersantur, turbationem in corpore significant. Et itaque corpus curandum sit. nam de actione, an sit mutanda, non esse medicę deliberationis. Et de his quidem, quę ad medicos spectant, & quę medicis probantur, nihil vetuerit nostra lex. Quæ circa deliberationes versantur, ea quoque rationem habent Aristoteli, & philosophis. nam vigilat anima tum maximè nec distracta sensibus est. ita qui contemplationibus se dedunt, in silentio & opaco sunt, ut sapientiùs meditentur. Et neque de his igitur est lex nostra. At quæ originem in nobis non habent somnia, verùm supra nos sunt, ut quę diximus de vrbibus, bellis, fortuna, vita, morte, & quę spectare ad accidentia, inquit Aristoteles: ea an hîc notentur, quęretur. Et si tu exceperis somnia diuinitus facta, & eorum probates expositiones, utique notantur hîc somnia reliqua, aut nulla notata erunt; quia alia nulla supersunt. nisi illa tu dicis, quæ adhibitis ma-

lis ſuperſtitionibus captantur, non adveniunt vltrò. Ait quidem lex, *occultam artem, aliquam divinandi.* Sed ea eſt proculdubio & horum interpretum, qui ſimpliciter conſuluntur a ſomniantibus. Non medica, non philoſophica divinandi ars per inſomnia prohibetur, quæ occulta non eſt, at libris prodita, & viris expoſita litteratis omnibus. occulta vetatur, id eſt magica. Ea accidentium vetatur, quę accidentium cum ſit, fortuita eſt, & neque exitum frequentem habet. Nam ut hęc etiam ſomnia eveniant aliquando, neceſſe eſt: ſicut neceſſe eſt, ut quod poteſt eſſe, & non eſſe, ſit aliquando. & maius miraculum foret, ſi numquam evenirent. ut miraculum fuit Galieno maximum is, qui vicies cum iaculatus in taurum eſſet, eum attigerit numquam, ut apud Pollio. Atque hoc quoq; exemplo uſus Ariſtoteles eſt c. 2. Sic & de aſtrologorum prædictis, ſi quæ al quando evenere, tu reſponderis. Quamquam quod de urbis Romæ initijs alicubi notat Livius, ea magnificentiſſima, & divina credita facilè poſt acced ętibus magnificentiſſimis, nec minus divinis factis, & incrementis urbis eius, & imperij: id de aſtrologorum vaticinationibus referri etiam poteſt, ne quis nobis hiſtorias de Auguſto in propoſito, quas habet Suet. c. 9. aut alias de alijs hîc objiciat: eas vaticinationes & commentitias fuiſſe ab his magis, quæ ſunt conſecuta. Hîc tu mihi notes contra Chaldæos, qui aurifaciendi artem profitentur. Eos nec ferri in civitate oportere, impoſtores cum ſint, & a ſummis viris ſemper damnati. Si enim ars ſomniorum exponendorum reijcitur, quæ tamen ſæpe habet veritatem, & aſtrologia eodem modo: qui ferentur in bene inſtituta republica iſti, qui nullo vmquam experimento artem ſuam adprobarunt? cur cives his patimur eſſe prædę? cur aut ipſos malè uti ſubſtantia ſua permittimus? Sequitur in lege noſtra, *Si verò convictus fuerit*, &c. Tormenta non irrogantur convictis, & confeſſis, niſi ad ſocios criminis fortè prodendos. alioqui res in dubium revocaretur. adi Alb. in l. edictum. de quæſt. & hoc iudicem monet conſultus ex facto Decia. conſ. 115. vol. 3. imò tormenta minuunt fidem confitentis contra ſe, etſi augent in teſte. Bal. conſ. 41. lib. 5. An igitur illud eſt hîc, quod in cauſſa fuit paricidij? *manifeſti paricidij reum, neculeo inſuere-tur, quòd non niſi confeſſi afficiebantur hac pœna*, &c. Suet. in Aug. c. 33. An potius ut confeſſio etiam accederet rei convicti, cui & hæc accederet pœna in contumaciam ſupertanto crimine? certè *in convictum reum, ſive torqueri poſſit, ſive non poſſit, pro modo admiſſi ſceleris ſtatuendum eſt.* Paul. lib. 5. ſent. tit. 16. igitur & ſive confeſſio acceſſerit torti, ſive non acceſſerit, ut ſummæ rationis eſt. Mihi ſanè placet magis, ut convictum

victum hîc capiamus de deprehenſo, ut in l. ult. & ſic idem Conſtantinus loquitur in l. 3. ad leg. Iu. ma. Quid verborũ proprietatem abiſtis deſideras? Sed & Paulus I. C. dixit, *reum evidentioribus argumentis oppreſſum*, ita l. 18. p. 1. de quæſt. Non ego hîc tormenta ad pœnam proprie expono: etſi ſcio & ad pœnam eſſe tormẽta, non ſolum ad quæſtionem l. 3. p. 1. p. 5. & l. 7. de re mil. Eculeus porrò fuit cataſta lignea in quam impoſitis oſſium compago divellebatur. adi Sigon. lib. 3. de iud. c. 19. & de hac artuum diſſolutione loquitur novel. 134. non de eo tormento, quod nunc ferunt, qui manibus a tergo palmatim obverſis, & colligatis arctè ubi iunguntur brachiali, per illud vinculum fune a terra ſuſpenduntur etiam ad horas pro quæſtione. Nam pro pœna ſublati in altum deuolvuntur ilico tanta cum velocitate, cum quanta corpus hominis ex alto dimiſſum cadit per liberũ aëra: & ſuſpenſi tamen terram non attingunt: ut ſic reſultent in aëre penduli, & mavi nam luxationem ad claviculam humeri patiantur, quæ tota circumtorquetur. Et ſic artuum hîc quoq; aliqua eſt diſſolutio. De eculeo, & hoc modò per Italiam vulgari tormenti genere etiam Alc. parerg. lib. x. c. 11. uno verbo attigit. Eculeo forte Epicharis illa apud Tac. 15. ann. cruciata fuit, cuius diſſoluta membra narrat.

AD L. VIII.

HANC legem, quidam volunt, iungi cum l. 8. C. T. eo. tit. quæ eorundem Auguſtorum eſt ad eundem præfectum prætorio. Sed ilic eſt ſine die, & conſule. Sic igitur, *Ceſſet mathematicorum tractatus, nam ſi qui publice, aut privatim, in die, noctu, deprehenſus fuerit in cohibito errore verſari, capitali ſententia feriatur uterq;, nam culpa ſimilis eſt, tam prohibita diſcere, quam docere*. Illa ego tantum habeo in meo Theodoſiano, hæc legis noſtræ non habeo. Mathematicorum ergo tractatus reſpicit duos. Et ita ait, *uterque*. Sed non eſt tamen tractatus tantum docentis, & diſcentis. Docere, & diſcere tam ad eos referas, qui reſpondent, & qui conſulunt, quàm ad præceptores, & diſcipulos eius artis. Generale eſt verbum docendi. & docere comædias pro edere, dictũ Ciceroni, Horatio, Suetonio, ut apud hunc notant in Claud. *ſpes diſcite veſtras*. de reſponſo Phœbi Anchiſes AEneid. 3. & de futuris etiam Tybris, *adverte, docebo*. AEneid. 8. Et de verbo docendi ſic etiam in propoſito hoc tradit Bod. 1. doem.

quod ſæpe pro prædicendo per damnatam divinationem ponitur in S.S. Sic puniri conſulentes pariter, & reſpondentes, audivimus in l. 5. De doctoribus autem & diſcipulis harum artium prohibitarũ videtur eſſe & l. 11. C. de ep. aud. & l. ult. C. T. de mal. & math. Ibi verò deportationis pœna ſancitur: quę & fuerit diſcipulorum per hanc legem noſtram. Sed hîc plura reſiſtunt. Quid enim doctores punientur lenius, quàm qui exercent? dictis facta minus habere criminis videantur? doctores id efficiunt, ut plures eſſe factores poſſint. quid non punietur, quaſi hæreſiarcha aliquis, qui docet? Sed & contra, quid docentes, diſcentes punientur, ſi viri ſancti hæc didicerunt, & theologi magni, ut refellere non incognita poſſent? adi c. 9. & c. 11. diſt. 37. Sed nihil id nunc, quum cognitæ ſatis ſunt iſtę artes: ut non opus ſit diſceptatione adverſus eas, ſed legiſlatione, imò magiſtratuum manu, qui ex latis legibus eas puniant. Sed Paulus, *Non tantum divinatione quis, ſed ipſa ſcientia, eiuſq; libris melius fecerit abſtinere.* Non ergo iuſſus legis? imò. Nam deportari, qui habent eos libros, ſcribit itidem Paul. tit. 23. Et humiliores capite puniri. & quod non tantum huius artis profeſſio, ſed etiam ſcientia prohibita ſit. Iuvenis quidam in exilium actus, quod librum magicum deſcripſerit. Nicep. Call. lib. 2. & morti damnatus, qui filium magis erudiendum tradidit. Amm. lib. 26. Hęc in Græcia non ita ſe habebant: nam & erat librorum commercium, & ſcientia, & profeſſio artis vigebat. ut cognoſcis de Tyr. Max. Ser. 3. & de Iſocr. AEgin. Sed & nec ſemper ſic habita Romæ. itaque Vlpianus lib. 7. de off. procons. *fuit quæſitum, vtrum ſcientia huiuſmodi hominum puniatur, an exercitio, & profeſſione. Et quidem apud veteres dicebatur, profeſſionem eorum, non notitiam eſſe prohibitam. nec diſſimulandum eſt, nonnumquam irrepſiſſe in uſum, ut etiam profiterentur, & publicè reſponderent. quod quidem magis per contumaciam, & temeritatem eorum factum eſt, qui auſi erant vel conſulere, vel exercere, quàm quod fuerit permiſſum.* Quod ait, *publicè reſponderent*, id eſt, palam, non clam quaſi veriti vetitum facere. Tyberius tamen *aruſpices ſecreto, ac ſine teſtibus conſuli vetuit.* Suet. c. 6. adeoque videtur ipſe permiſiſſe profeſſionem, ſed publicam. veritus videlicet, ne de ſe conſuleretur. quod magis periculoſum, & vetitum magis. ut antea notavi ad l. 3. Sed & Alexander, alumnus Vlpiani, aruſpicibus, & mathematicis ſalaria inſtituit, & auditoria decrevit. ut ſcribit Lampridius. Quod tamen de haruſpicina cultu, & religione capere potes cum lege Valentis, quam recitavi ad l. 2. Et de probatis, ac veris artibus mathematicis. aut etiam de profeſſione utrunque. Sed & Tyberius expulit alio

tempore

tempore mathematicos, & non niſi deprecantibus, ac ſe artem deſituros profitentibus veniam dedit. Suet. c. 36. De illorum porrò contumacia eſſe poteſt, quod ſcripſit Tacitus, factum ſenatuſconſultum adverſùs eos atrox, & irritum. Et quod Suetonius, *poſt edictum Vitellij, quo inhibebat, ut intra Calendas Octobris urbe, Italiaque mathematici excederent, ſtatim libellum fuiſſe propoſitum, & Chaldæos dicere, bonum factum, ne Vitellius intra eundem Calendarum diem vſquam eſſet.* c. 14. An verò ſcientiaque aut per hoc ſophiſma vetita, quòd exerceri vetita eſt? Et quid libri, ſi ſcientia? ſic mala medicamenta corrumpenda. l. 4. p. 1. fam. erc. Et de his libris comburendis etiam Dioletianus C. Græg. hb. 12. & Auguſtus in pontificatu *quicquid fatidicorum librorum, Græci, Latiniq; generis, nullis, vel parùm idoneis auctoribus, vulgò ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique, cremavit, ac ſolos reſervit Sybillinos: hos quoque delectu habito, condidit quæ duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* Suet. c. 31. Ea impiorum librorum ſolens mors ignis. Liu. lib. 40. Tac. in Agric. Lucia. in pſeudom. Lact. de ira de. c. 9. Libros carminum valentium hos nominat Horat. od. 17. Epod. Sed ait tamen Scaliger, non pauca quidem ridiculè in magicis libris ſcripta eſſe, & aliqua ſuperſtitioſè, verùm & præclarè multa. lib. 3. poet. c. 16. at de magia, quam naturalem vocant, & de qua libri proſtant typis expreſſi, is loquitur. Et nunc rem bonam proponunt ſub infami nomine, certè ſuſpecto: cum olim bona nomina rebus malis adfingerent. quod dixi ad l. 2. Sed & iſti tamen callidè agunt, ſic pollicentes cum titulis iſtis quod ſupra commune, & vulgatè aliorum librorum ſit. Notat hoc artificium inſcriptionum librorum Plin. in præf. nat. hiſt. Conficiamus de perſonis, quod cœpimus. Ait Paulus, *magicæ artis conſcios ſummo ſupplicio affici placuit, id eſt beſtijs objici, aut crucis ſuffigi. ipſi autem magi vivi exuruntur.* Conſcios Cuiacius interpretatur ſcientes, non exercentes: ipſos autem magos, qui exercent. Sed articulus *autem* facit magos & conſcios diverſiores. Ego conſcios interpretor de his, qui dicti ad l. 3. & qui conſentanei appellantur in d. C. Græg. & ſic conſeij ſunt conſocij in l. 5. C. ad leg. Iu. maieſt. ut poſt gloſ. & Cæpol. Menoch. de arb. caſ. 355. Et apud Tacitum ſæpiſſime in omnibus ferè libris. Etiam ſcientia ſic an. 16. & contra inſcitia ann. 15. conſcientia ſæpe. & Liu. lib. 2. *ſeducta a plurium conſcientia conſilia habere.* Et ſic latronum conſcientia l. 16. in prin. de pœn. Et ſic conſcij, ac miniſtri ſacrificiorum eandem ſubeunt pœnam, quam qui ſacrificia exercent l. 7. C. de paga. Sic & ſupplicium crucis notatum

tum Paulo indicat notatum adminiſtris. nam ſervorum ſupplicium illud eſt. adi Fab lib. 2. ſem. c. 8. Notatum & ſupplicium ad beſtias idem indicat. nam hoc humilioribus imponi ſolitum l. 2. p. pe. de ſica. Sed cap: tamè de omnibus adminiſtris, & conſocijs, etiam ſupra humiliores. De conſcijs dixi præterea ad d. l. 5. C. ad leg. Iu. ma. Hîc de doctoribus & diſcipulis quod reſtat, ſic concludo: ut doctores puniantur leviùs, quàm qui exercent: quia & minus ſit in poſſe, quàm in eſſe. ut dicitur. qui docet, is facit, ut poſsit eſſe. qui exercet, ipſe iam facit eſſe. illud vetatur propter hoc, hoc propter ſe. Si diſcere potuerunt aliquando viri ſancti, facere numquam potuerunt. Diſcentium ſimilis culpa eſt, ac docentium quidem. Sed poteſt tamen non eadem eſſe utrorumque pœna. Et auctores quidem severiùs, conſentaneos non ita punit d. l. C. Græg. de male. ſimilis ſilicet culpa eſt, ſed non tanta. æqualis non eſt. Ab Antiocho rege philoſophi pulſi toto ſuo regno, ſed diſcipuli leniori coercitione admoniti. Athæn. lib. 12. Rurſus dico de doctoribus, poſſe imò adſtringi eos pœnis iſtius tituli cum factoribus, quicquid Paulus ſcripſerit, cum in titulo iſto ſint notati. Et hoc mihi placet magis. Quod ſi doctores pares facimus factoribus, quid non etiam diſcipuli pares fuerint conſcijs?

AD L. VLT.

HACTENVS explicata maleficia, item eorum pœnæ. hîc iudicium docemur. Et primum de accuſatore ait lex, *Quicunque.* non igitur hi prohibentur, de quibus traditur in tit. Dig. *de his, qui accus. non poſſ.* Et publicum omnino crimen hîc tractatur. Et itaque *ſi quis aſtrologus, vel qui aliam illicitam divinationem pollicetur, conſultus, aliquem furem dixiſſet, qui non erat, iniuriarum cum eo agi non poteſt, ſed conſtitutiones eos tenent.* l. 15 p. 9. de iniur. Paria hæc crimina maieſtati. Et ſic conſcij etiam hîc puniuntur. An ergo nec ſervus delator domini punietur? l. ult. C. de delato. Et de articulo *quicunque* not. ad l. quicunque. C. de ſer. fug. Ait lex, *audierit, deprehenderit, occupaverit.* Et indicat de probationibus. De teſtimonio exauditu diſputatur, & diſtinguitur variè. Et a nobis multa ſûnt dicta ad l. 7. D. de ſpons. Verbum deprehendendi ſignificat in ipſo facinore. l. 23, de adult. quod & verbum occupandi. itaq; illud reſpexerit con-

coniecturas, quibus quis notitiam huius malefici habuerit. Testes hic admitti singulares, & tres esse satis, tradit Bodinus. Et ego de his copiosius ad d.tit. de sponsal. Illud benè monent alij, non esse satis, si ipse reus fatetur generaliter, se magiam exercuisse. Et sine dubio est verum. Sic neque testes probarent. Inquit lex, *ilico*. Et ego docui de his momentarijs articulis lib. 1. de leg. temp. Non ferendum, ut vivat maleficus, ait deus Deut. 21. quod est, interfici ilico, & eodem die evictum oportere. ut de Philonis libro de singularibus legibus referunt. Satis è si lex iubet, quid non fieri, mora nulla dãda est: si, quid fieri, mora aliqua tribuitur. alij, & Iaf. ad l. de pupillo. p. si quis fortè. de oper. no. nu. Legem, quæ moram non habet, ante omnia impleri oportet, Cic. 2. de invent Et sic est *protinus* in l. 4. fam. erc. id est, ipso iure, & sine processu condemnetur. quòd alij, & Iaf. ad l. in illa. de V.O. Et verò si alicubi verum est, his in criminibus est verissimum, quod tradunt, iudices constito de maleficio promptos esse debere ad puniendum: & hoc facere debere primò, postea processum conficere. ut hoc ultimum etiam tradit Bal. ad c. quoniam contra. de probat. & refert, & sequitur Decia. cons. 63. vol. 3. Et de executione illud notandum est, quod recitat Barba. ad c. cum non ab homine. de iudi. fuisse quendam nobilem præsidem, qui indolverit, quod & in die paschatis insignem malefactorem suspendi non iusserit. Ait lex, *pertrahat*. De more trahendi reos in iudicium scripsi ad l. 40. de V.S. Sed hoc est iudicium criminale tamen itaq; per accusatorum libellum. l. 3. & l. 7. de accus. Ait lex, *ut iudicij oculus* &c. civilis, non ecclesiastici magistratus: nisi & de fide quærendum sit: ut quia manifestaque hæresis intercedat. quod ex alijs tradit Iaf. ad l. huiusmodi. in fi. de leg. 1. & ex arrest. Papon. lib. 2. tit. 3. Loquitur Iason, ne ad inquisitores hæreseon hæc trahantur. Sed Paponus, ne omnino ad ecclesiasticum. Atque ita accipi posse ex supradicta limitatione videtur l. 11. C. de epis. aud. quæ alioqui ex titulo, ubi descripta est, rem trahere vniversam ad episcopalem audientiam, id est tribunal ecclesiasticum, posset. Bodinus scribit, ecclesiasticos olim de istis iudicasse, nunc per arresta iudicare in Gallia laicos. Rectissimè. De poculis amatorijs post Panormitanum abnegat iurisdictionem ecclesiastico etiam Alc. in c. 1. num. 105. de off. ord. Sed inquit lex, *quod si quis quã ex agitatoribus, id est aurigis*. nõ est hęc glossa in Theodosiano. at proba est: ne quid soniemus de his, qui in l. 4. de his, qui no inf. & similibus. aurigę hic sunt & hi, qui rem vehicularem exercẽt. ut eam nominat Amm. lib. 14. & lib. 21. & de qua tit. in utr. C. de cur. pu. ibi lex de equis agitandis non aliter,

quam flagellis. unde est nomen agitatorum. Non licebat omnibus, equos habere. C.T. qui. equo. us. conce. Et quòd ergo illis aurigis copia præcipue erat subtrahendi reos, propterea expressum de illis hic fuerit. Sed iam satis. Plenius de processu iudiciorum istorum, maxime adversus strigas vide apud Bodinum, qui pulcrè de coniecturis eas deprehendendi: sed & apud alios, qui volumina de his scripsisse dicuntur. Mihi propositum fuit, explicare, quæ artes crimina essent, & de republica per gravissimas pœnas exterminandæ. Et itaque de aliis tractatulum subiicio, quæ alia iudicia passę sunt: & illum ego feci ad l. 3. C. de prof. & me.

Tu legeris & illum, humanissime Matthæe: cui dono, dico merito lubens: legat & lectissimus, & summæ puer spei (pergat modò, vt incępit, benè) filius tuus Thobias in cuius ilic spatiis agimus toti.

COMMENTATIO AD L. III. C. de prof. & med.

AIT Phillipus imperator, POETAE NVLLA IMMVNITATIS PRAEROGATIVA IVVANTVR. Et mihi id mirum, sed & alijs fuerit, qui nō ignoramus, artem poeticam neq; ex earum esse numero, quas de civitate prudentes, & probi legislatores exterminare, quasi crimina teterrima, cōsueverūt, sortilegia, necromantias, & id genus alia: neq; ex his, quas ferūt quidem in civitate, sed cum nota, vt histrioniam, & reliquas edicto prętoris de infamibus comprehēsas. Et scimus, artes plerasque omnes alias invitari, illici in civitatem, legum varijs ornari beneficijs, grammaticam, dialecticam, rhetoricam, medicinam, de quibus sic cautum non vno loco nobis est. Legimus, pictoribus tributas immunitates. Et huc igitur mihi animum adverte: atque recogita, quàm facit penè eundem poetam, pictoremque Plato. & verò sic est & vulgatum illud Simonidis Melij, *Pictura est muta poesis. Poesis est loquens pictura*, eo dictum lumine orationis, quod commutationem rhetores appellarunt. Quale & alterum Polemonis, *Homerus est epicus Sophocles. Sophocles est Homerus tragicus*. Et qualia sunt plurima. Et apud nostros, *Erro est pusillus fugitivus. Fugitivus est magnus erro*. Epictetus etiam, picturam esse fabulosam veritatem, dicebat. Quod optimè, & significantissimè expones & de poesi, quæ nec veritas tota, nec tota falsitas est. Quod enim in poemate verum vllo modo, vel simpliciter, vel secundùm opinionem, vel ex non refutabili, vel aliter non est, sed falsum apertè, & vulgo est, vtique vitiosum est. Nam in mendacio hoc non est neque verisimilitudo, neque admiratio, duę virtutes poematis. Respice autē ad omnes, quę sunt tres poematum species. Et in epopœia, ac tragœdia fundamentum videris ab historia, vel fama. Sic silicet gesta principum sunt, personarū horū poematum, vt in obscuro iacere nequeant. Æneam venisse in Italiam, bella ilic gesisse cum indigenis, & victorem nactum coniugem regiam, regnumque, cognoscebant: quibus autem modis facta isthæc sint, & quæ ille sit passus omnia, hæc latebant in tenebris antiquitatis: & in his superest poetæ locus ad suum illud verisimile imitatio-

C. de malef. & ma.

l. 8. C. de metat.

lib. Vlt. de rep.

Laert.

l. 17. p. erronem. de ad. ed.

tationis, quod conficit in imagine optimi, & laboriosissimi principis. Comœdiæ, quæ priuatorum actiones habet incelebres, hoc ipsum est fundamentum poetæ ad suam fabulam, quod verisimilia afferenti non potest, aut solet de mendacio obijci, quod adprobari mendacium nequit, & contra quod, fictis utcunque nominibus personarum, atque locorum, temporumue, verisimilitudo actionis repræsentatæ stat. Sic & poesis, & pictura fingunt sub imagine ueri. Vt ita capitur Horatius ilic, *Pictoribus, atque poetis*. Sunt isti in eo fortasse dissimiles, quod poeta solus est, qui fingit verisimilia: at pictor etiam est, qui pingit vera. Et non fuit pictor vtique Apelles minus in Alexandro exprimendo, quàm fuerit Zeusis in concinnanda Iunone Crotoniata: quicquid ille certi hominis imaginem, iste formam nullibi visam effinxerit. Quod in poeta, qui res fide historica exponit, non ferunt sectatores Aristotelis: & itaque Lucanum, Silium poetas negant. Et verior est hæc opinio: vt vt reclament hodie viri doctissimi Fracastorius, Scaliger, Patritius. Si enim dialecticæ pars est poetica, quod iam constat; historicam illorum scriptionem referre ad poeticam qui poterimus? Ars neque ulla est historica. Vt luculenter docet clarissimus Zabarella in libris de natura logicæ. Et poetæ nisi materiam illi propriam, non solum materiæ tractandæ modum, tribuimus, absurdum certè facimus. Ea autem quę sit Lucano, Silio, alijs similibus, à magnis viris illis non extricatur. Materia poetæ est vniuersale verisimile, non particulare verum. At in istam disceptationem penitiùs non ingredior. Id concludo, quod, siue sit poeta pictori vtrobique similis, siue ilic tantùm, quum res vterque verisimiles fingit, magna semper est poetæ, & pictoris adfinitas. Cur igitur est pictoribus immunitas aliqua, nulla poetis est? Grammaticis, oratoribus, rhetoribus, dialecticis, sophistis, medicis, iurisconsultis, omnibus artium liberalium professoribus largiter immunitates tribuuntur non vna lege. Ratio quoq; illorum habita est, qui pueros vel in vicis docent litteras primas. An soli supersunt poetę munes? Et solum studium istorum inutile; quod pater Ovidio obiectabat? Omnes medecinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quò libentiùs & ipsi vrbem incolerent, & ceteri appeterent, ciuitate donauit Cæsar. Num putas, exclusos solos poetas? aut censes, pluris aliquas immunitates, quàm ciuitatem Romanam, cujus desiderio reges, & gentes flagrabant, potiti autem, summum se adeptos bonum, & decus, arbitrabantur? Quinimo Augustus pro quodam tributario

lib. 2. c. vlt.

l. 6. de exc. tut. l. vlt. in fi. de mu. et ho. l. 2. p. vlt. de vac. mu. & tit. C. de pro. & me.

Suet. c. 22.

Gallo

Gallo roganti Livię ciuitatem negauit, immunitatem obtulit; affirmans, se faciliùs passurum, fisco detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ vulgari honorem. Hic mihi de poeticæ artis excellentia, & virtutibus summorum poetarum dicendum esset: vt ostenderem, dignissimos esse poetas, quibus quid etiam supra alios deferretur. Sed quis ille est ab omni litteratura alienus, qui, poetas apud omnes habitos sanctos, non intellexerit? Eorum tanta fuit veneratio, Gallis, vt pugnam sic poetarum ponerent interuentu pugnacissimi uiri, quasi iussi à caduceatoribus. Vt Diodorus recenset. Atque si tu eos existimas Druidas, sapientes illos Gallię. et hoc scias, poetas olim sapientum nomine insignitos, & eosdem cum sapientibus fuisse. Dicam, laurum poetis & triumphatoribus promiscuam? Dicam, voces illas oraculum non aliter, quàm poetarum, sonuisse? id genus alia innumerabilia ad laudem poetarũ summam? Recitem de nostris jurisconsultis, vti eos, & niti auctoritate Homeri sępissimè? Summos oratores & ipsos veterum poemata ad fidem caussarum adsumpsisse, cognouimus. & de Quinctiliano audimus. Sententijs poetarum librosque philosophorum refertos, legimus, & idem auctor observauit. Quid, quod à poeta loqui oratores discunt, & alij omnes? Si verum est, (& est verissimum) magistrum dicendi, non illum rhetorem, & præceptorem oratoris tantùm, sed omnium communem dare poetę soli omnes species dictionis, & omnes veneres orationis: vt Naugerium diuinitùs explicantem facit Fracastorius in eo dialogo, cui ab illius viri loquentis nomine, siue de poeta, titulus est. Quid etiam, si de uno velim Homero, aut de vno Virgilio verba facere? Vtrunq; optimè de genere meritum humano asserere durus Stoicus Seneca potuit. Homerum omnis virtutis parentem nominat noster Iustinianus. Omnis sapientię fontem quisque fatetur, & libro integro primo exposuit Strabo. Sed infinitus sim, si hujus poetæ encomia recito: &, quot sint à summis viris, memoro, scripta volumina, quæ illius laudes continent. Suida, Laertius plurima notant: quibus sermones aliquos adjungas Tyrij Maximi, philosophi, qui Platonem sectatus est tamen. Hic ille Homerus, quo vno vsus pręcipuè magistro Alexander censeri valuit Magnus. Et verò Hannibal, qui alicubi magistrum hunc, & hunc discipulum ridet, vt Phormionem alibi philosophum de imperatore, & re bellica disputantem, barbariem potiùs prodidit suam, quàm de Homericis virtutibus quidquã imminuerit. Ita enim factum est, vt multa admiserit Poenus contra justitiã bellicam, qui pręstatissimum hujus doctorem, & ad illud temporis vnicũ,

Set. c. 40.

Cic. pro Arch.

lib. 6.

Laert. in Thal. & Lact. lib. 5. Inst.

Scip. Gent. lib. 2 pare.

lib. 1 c. 13. lib. 5. c. 11.

lib. de consol. ad Polib.

in poem. Dig.

Ser. 7. & 16

Lucia. in Scip.

Homerum contempserit. Vt de hac barbari iniustitia, sed & de re militari reliqua alibi mihi explicatum est. Hic ille Homerus, vt breue faciam,

Horat. ep. ad Loll.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius, ac meliùs Chrysippo, & Crantore dicet.

Et minus probes tu magnum Scaligerum, qui iniquior Homero iudex per suos omnes libros poetices, Horatij hoc quoque iudicium improbat, & fere rescindit in hypercritico. Neque enim sic decipi omnis antiquitas, & sequens omnis ætas in æstimando Homero valuit. Illud non diffiteor, esse in isto poeta quædam, quæ indignissima sint, nec ab vllo vmquam eius patrono excusata satis. Sed quid? ab homine vix perfectum, & irreprehensibile est.

lib. 6. c. 7.

Martial. li. 7. epigr. 80.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro.
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Illud etiam fateor cum Scaligero, nec dubito, quin verum sit, Homerum multo esse Virgilio minorem. Quid enim in altero hoc reprehensum umquam, quod non & defensum egregie sit? Noster quoque Alciatus aliquam in eo suam operam contra Gellij notata collocavit: & feliciùs quidem Scaligero. Quæstio hæc est, quod Virgilius in ore Palinuri nomen portus Velini posuerit, qui vir longe ante Veliam conditam mortuus erat. Scaliger credidit, licere poetis, non modo ex persona sua loquentibus, anticipatione ista vti, sed & ex alterius cuiusque, quem repræsentant. At inquit tamen, duriusculum commentum esse. Et illud quidem damnaverat multo ante, & ea re condemnaverat poetas Velleius Paterculus. Alciatus affert, non à Velia, vrbe post Palinurum condita, sed à flumine Velio, quod & vrbi dedit nomen, portus à Palinuro Velinos indigitatos fuisse. Sed hic mihi Velleij mentio revocat in memoriam, quod ad eum historiographum iurisconsultus (cur enim hoc non tribuam merito?) iurisconsultus Lovaniensis scribit contra Scaligeri iudicium, quod modo laudavi, de Virgilio, & Homero. At nihil contra Virgilium. Quæ autem pro Homero monet, Aristotelis præsertim testimonia, admittimus libentissime. Sed neque desunt Virgilio laudes Velleij, & aliorum mox. Ipsa enim illa ætas, quod semper fit, & factum aduersùs Homerum fuit, inuidit suis.

A. lib. 5. pare. c. 21. G. li. 1. c. 16. S. lib. 3. c. 49. & 95.

lib. 1.

Martial. li. 5. ep. 1.

Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt secula Maonidem.

Novimus longas Horatij quærelas hac de re. Imo excelsa sic fuit Virgilij virtus, vt vix suborienti cecinerit alius,

Cre-

Cedite Romani scriptores, cedite Graij. Prov. lib. 2.

Nescio, quid maius nascitur Iliade. eleg. vii.

An passim quæ observat Scaliger de Virgilij virtutibus recito? Artes pacis omnes, & belli vno in Ænea cognitas, exponit in Idæa: & hæc in summa, *Nullo profectò philosophorum præceptis aut melior, aut civilior evadere potes, quàm ex Virgilij lectione.* Et ita Fulgentius olim librum præceptionum moralium confecit ex vno Virgilio: quem poetam nomine, re philosophum moralissimum esse, voluit. A page Trithemi, quis quis es, qui, aurum in luto quæsitum à Fulgentio, audes. A page Cai furiosissime, qui lumen hoc, sed & Homerum extinctum voluisti. Alexandro Severo (addunt Augusto aliqui) non alius Maro, ac Macedoni Homerus fuit. Virgilio in theatrum venienti vniversus populus Romanus assurrexit, veneratus illum quasi Augustum. Nec enim is fuit honor, quem aut filijs suis tribui passus Augustus sit. Ego autem de facto illo, & de Virgilio ipso caperem, quàm de alio citiùs, quod in ecloga vltima alteri scribere videtur. lib. 3. c. 12. & 20. Lamprid. Tacit. de orat. Suet. c. 56.

Utq; viro Phœbi chorus assurrexerit omnis,

A page imperitia, apagete grammatici. Sed nec philosophi disceptarunt contra Virgilium meliùs. Et in eo, quod ipse Scaliger reprehendit dicentem,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. li. 4. AEne. in fi.

quoniam fatum imò erat, Didonem sic mori: luculenter à fratre meo defensus Virgilius est: & à me grammaticè illud afferetur, Latinos ita loqui consuevisse, vt dicerent, quem obijsse fato, qui morte obijt non extrinsecus illata. Sic scilicet Paulus iurisconsultus servum fataliter interemptum ait: & certiùs sic sunt illa Taciti quartodecimo annali, *non mops exilium toleravit, & fato obijt.* Omnes profectò, quæ Virgilio fiunt accusationes, ego, vir in his rebus neque admodum doctus, neque admodum acutus, aut exercitatus, leves prorsùs, & ridiculas deprehendi statim auditas. In vna expedienda aliquantisper hæsi. Ea autem erat, quod eius Æneis nec vnius Æneæ actionem, nec actionem vnam contineat, sed multorum sub AEnea duce, & huius navigationem in Italiam, simul & bellum cum Latinis gestum. Quæ vitia maxima duo creduntur: & ab Homero in vtroque poemate vitata laudatores istius adversùs nostrum obijciunt. Nam Vlyssis vnius vna actio in Odyssea, domum reditio. Vna Achillis ira, quæ caussa malorum Græcis, dum abstinet illum a pugnando, & malorum caussa Teucris, dum ad ad Tast. Solv. lib. 12. in Sent. tit. de lega.

pugnandum impellit eundem, in Iliade. Verùm ſic conſtituo,
Macrob. li. 1. Satur. c. vlt. pronunciatum veriſſimè a viro nobili, & doctiſſimo, *Hæc Maronis gloria, ut nullius laudibus ereſcat, nullius vituperatione minuatur*. Quod namque de vnius actione tradunt, id in primis recipi non poteſt, quin concludamus poetæ artem intra cancellos auguſtos nimium, & ſtatuamus, non oportere, eum niſi privati hominis actionem referre, non etiam principis, aut imperatoris. Quod ſi poteſt et de his tractare, vtique tractet ſic oportet, vt parentesque, militesque eis aſſignet, ſine quibus nec principem, nec ducem quis aget. Et hoc ita mihi verum videtur, vt mirer nunc non parum, Torquatum Taſſum, poetam, quem feceris Homero, & Virgilio facilè parem, & rei poeticæ ſummum hodie magiſtrum, fuiſſe de eo ſollicitum, & dubitaſſe vehementer, an rectè conſtituerit ſic poema ſuum, in quo plurimum actio cernitur ſub vno Gothifredo imperatore. Quid an ſolus pugnat Achilles, & non etiam armari reliquos, & proficiſci ſecum in aciem, ipſe
Ilia. 20. iubet? Ego putem, & ejus corporis imitationem eſſe poetis, quod ex
l. 30. de v ſimp. diſtantibus conſtare, ait Pomponius iuriſconſultus; veluti populus eſt, & exercitus. Adeoque fuiſſet & poema legitimum illa Hieroſolymorum receptio, etiam ſi vnum reliquis ducibus Taſſus non ſuperimpoſuiſſet: & fuiſſet fortaſſe admirabilius. Sed hæc hactenus. Sed eſt & actio AEneę vna Virgilio: quod nempe ille in quærendo regno Italiæ egit, & paſſus eſt ſub Iunonis ira. Sic de ira hac in propoſitione, in invocatione, in ipſo ſtatim initio narrationis, in ſingulis libris paſſim. Vt mirum ſit, ipſis nec accuſatoribus Virgilij, nec patronis iſthæc viſa, atque animadverſa fuiſſe. Non antea incipit actionem AEneæ, quàm ab hac ira, & non niſi cum eadem hac ira finit. placata enim Iunone AEneas bello finem imponit.

lib. 12. *Annuit his Iuno, & mentem lætata retorſit.*

Et ecce tibi imaginem principis, inſignis virtutis, qualem non videris ſimilem in Homero. Inſignem pietate virum, nulla ſua culpa inviſum reginæ dearum, & hujus quoque victorem, at præcibus tamen. Quod faciendum præmonuit vates Helenus.

lib. 3. *Vnum illud tibi, nate dea, præq; omnibus vnum*
Prædicam, & repetens, iterumq; iterumq; monebo,
Iunonis magnæ primùm, &c.

Et Tybris rurſus,

Iunoni ferito preces, iramq; minaſq;
lib. 8. *Supplicibus ſupera votis.*

Et facit AEneas ſic,

—— Et tu Saturnia Iuno *lib.12.*
Iam melior, iam diua precor.

Quid ait noſter ille iuriſconſultus, qui Scaligero magno imperitiam, & livorem obiectat in judicio facto de Virgilio? At nos iſta tractamus fortaſſis latiùs, quàm oportet. Et Alciatus tamen à Marone *li.x.parerg. c.12.*
vel contra iuriſconſultos tuendo non abſtinuit. Et à me dicta hæc in eum finem ſunt omnia, vt intelligeremus merita poetarum: poetiſque omnibus, aut propter hos duos Virgilium, & Homerum, tribui immunitates oportuiſſe. Si quidem & medicis omnibus propter vnum Muſam data ab Auguſto immunitas memoratur. Et cùm periiſſet in bello poeta Eupolis, cautum lege Athenis, ne quis militaret poeta, tradunt. Quid cum poſteris fiat ob vnius olim meritum, id mihi expoſitum eſt in libris de iure belli. Et hęc de meritis poetarum. Si dialectici, qui ſophiſtarum nomine appellantur in libris legum, immunes ſunt: cur non & poetę, qui eodem nomine, & auguſtiori ſignificatione ſapientum dicti ſunt? Et cùm dialecticæ pars poetica non minus, quàm rhetorica cenſeatur: cur & dialecticis, & rhetoribus datę immunitates, non poetis? Poeticam eſſe dialectices, ſive logicæ partem cenſuerunt Thomas Aquinas, & Averroes, & hoc tempore alij expoſuerunt. Hæc ſcilicet ars, quæ de ſcribendo poemate præcepta tradit, quia in conſtitutione exempli tradenda occupatur, pars eſt dialecticæ: ſicut & rhetorica ejuſdem pars eſt, quoniam de enthymemate docet. Et exemplum, atque enthymema ſunt inſtrumenta logica. Ars poetica in eo eſt, vt doceat, quomodo confici-enda exempla à poetis ſint, qui quid velit imitandum, aut fugiendum proponere. Quomodo hominum mores, & actiones, & affectiones ſpectatoribus exhibere poeta debeat ad imitandum, vel evitandum. Verbi gratia, id vult Virgilius, docere, principem optimum aliquandò ſanè vexari inſigniter voluntate maioris alicujus, ſed ſupereſſe tamen, quaſi aurum flammis excoctum, præſtantiorem, & illuſtriorem. Adit ergo magiſtrum ſuum poetices. à quo tractare iſtud addiſcat: & à quo didicit, AEneida componere, vbi eiuſmodi principis referuntur caſus tales, vt propoſitus rectiſſime dicatur pro documento ejus, quod poeta voluit. Sic enim alius ſecum ratiocinabitur in caſus AEneę intuitus, nihil eſſe omittendum eorum, quę geſſerit AEneas, ſi ipſe conſtitutus in ſorte ſimili exitum laboribus ſuis ſimilem ſperare cum Aenea velit. Sic eſt Taſſiąue Gothifredus. Sic nõ eſt Ioſephus Fracaſtorij. Non eſſet Abrahamus, Moyſes, Ioſue, David. Neq; enim libros ſacroſanctos contaminare decet, ut præceptum

Dio.lib.53. Suid.

Ant. Aug. ad Modeſt. Laert. in prot.

Zab.lib.2. de na. log. Ricc. in poe. Ariſt. c. 19.

eſt certiſſimum: quod tamen magni quidam poetæ nec ſeruant, nec cognoſcunt in ſuis Iephte, Baptiſta, Geneſi: & turpiter errant. Etiam, pſalmos exprimi carmine, Scaliger vituperauit. In quo ego illum non ſequor. Ceterum ad aliud pergo. Si philoſophis ſunt immunitates, cur non & poetis, qui philoſophi ſunt inſtituendæ ciuitati maximè idonei? Eſt poetica, quemadmodum rhetorica, inſtrumentum actiuæ philoſophiæ ciuilis: nam per poetas, & poemata mores ciuium bonos facit. Et ſicut verbis per oratores hoc præſtat rhetorica: ita poetica per poetas factis fictis, & fictis actionibus. Vt iſta Scaliger, & luculentius explicauit doctiſſimus Zabarella. Hic videlicet veræ poeticæ finis eſt. Vt quæ delectat tantum, ea adulatoriæ non immeritò conferatur: & iudicetur peſtifera, quæ fœdis exemplis mores corrumpit.

5. lib. vlt. po et. c. 2. Z. lib 2. de na. la.

Et prodeſſe volunt, & delectare poetæ.

Vt inquit Horatius. Quæ eſt poeticæ condicio præſtantior reliquis diſciplinis, quod prodeſt, & medetur cum voluptate, non quaſi medicus inelegans,

Sed veluti pueris abſinthia tætra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore.

lib. 2. Vt Lucretius cecinit. Poetæ medici ſunt. Medentur perturbationibus valdè, & validè. Itaque id Ariſtoteles in definiendo tragœdiam notat: & Timocles comicus pluribus & exemplis, & li. 6. & 13. verſibus apud Athæneum oſtendit. Sic apud eundem Euripides philoſophus ſcænicus vocatur. Et ſic Ariſtoteles non quaſi otioſam rem docuit poeticam: at verus philoſophus pro vtilitate eam reipublicę, vt alia expoſuit omnia. Et ſic de epopœia tantum, tragœdia egit, & comœdia. Reliqua enim poemata non ſunt, certè non ſunt pro ſtatu ciuitatis. Inſtruuntur principes optimi ab epico, non malè a tragico, priuati autem homines a comico. Ergo ſi de alijs poetis præter comicos, tragicos, epicos dixiſſet noſter ille imperator, qui omnem immunitatis prærogatiuam poetis negauit, parata hinc fuiſſet ratio ſtatim: quod illi alij ſilicet ad ciuitatem minus pertineant. Quid ergo dicimus? An legiſlatores noſtros ex eorum numero, qui optimos poetas cum habeant ſine pretio nunc Homerum, atque Virgilium, ineptum putant, mercede vlla alios provocare? Inuectus in illos Theocritus eſt. Et non ſanè hęc eſt ratio legis noſtrę. An ergo eſt, quod bonos, & veros poetas reperies phœnicibus rariores, reliqui autem ferendi non ſunt?

Idyll. 16.

—Me-

Mediocribus esse poetis
Non di, non homines, non concessere columnæ.

Vide, quid a poeta expectatur: ut versus multos perdere bonos debeat, ne simul malum admittat unum: contra quam nostri constituunt iuris consulti, satius esse nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. quod Scaliger extulit acutè. Ex occasione unius Musæ data immunitas rebus quis medicis: quia hi esse mediocres plurimi possunt. Et mediocres alibi extra poeticam prodesse possunt, & ferri, & honorari debent. ut de eodem Horatio notas, Non puto, aut hanc esse rationem, quam quærimus. Num igitur adiungemus legislatorem nostrum Platoni, qui de sua republica poetas eiecit? Honos certè alit artes. & qui alimonia denegat, eum afferre necem, scribit iurisconsultus. *Sublatis studiorum pretijs etiam studia peritura ut minus decora*, ait Tacitus. atque artes si illuc confluunt, ubi ipsarum pretium est: quod Plato in maiori Hippia adfirmat: certè illinc ejiciuntur, ubi ipsarum pretium non est. atque ita legislator noster ejecerit poetas, qui omnem immunitatem eis negaverit, eos & inhonoratos infra ceteros esse, iussit. An hoc dicimus? stipendia liberalium artium, magistris olim constituta in omnibus urbibus, sustulisse Iustinianum, narrant. quid ni igitur aut illam Philippi legem adversùs poetas receperit? Verùm neque hoc dicimus. Et scimus tamen, cum Platone idem Heraclitum censuisse: qui, Homerum ejiciendum de republica, sed & colaphis etiam cædendum, contendebat. Et principem Stoicorum Zenonem existimasse, ad perceptionem disciplinarum alienius poetica nihil esse. Et Solonem prohibuisse, Thespim tragœdias agere, ac docere: quasi isthæc inutilis falsiloquentia foret. Et Catonem Fulvio Nobilioti tanquam crimen obiecisse, quòd consul poetas in provinciam adduxisset. Et in Decreto esse sententias veterum theologorum, quibus poetarum studium, lectioque minus probatur. Et hæc, & alia contra poetas afferri posse, non ignoramus. Sed aut refutare, aut recitare omnia, instituti nostri non est. Cato habuit & ipse eundem Ennium ptætorem Sardinia. Solon, cui Homerus in veneratione fuit, mala potuit odisse poemata, odisse rem poetarum non potuit. Theologi cum exceptione loquuntur, poetas simpliciter non condemnant. & nemo cum illis non ita sentiet. Zenoni sic respondemus, non esse poeticam instrumentum philosophiæ contemplativæ, sed activæ: itaque nec ira ad poetas pro rerum scientijs. tegunt isti, quantum possunt, omnem etiam tenuem ostentationem scientiarum: quam febri-

l. 4. de caus. lib. lib. 11. ann.

Zonara.

Laertius.

Cic. pro Arch. & Tusc. 1. c. 1. c. 2. c. 5. diss. 37.

Sex. Vict. de vir. ill.

culosam in Lucano, si memini, is appellat, quem sæpiùs laudo, Iulius Scaliger. Et in hoc Zenoni, Platoni, alijs accedimus, qui id dixerint, & verò ita etiam intellexerint. Sed ad ipsum Platonem accedamus. Ipse non magis Socraticus, quàm Homericus deprehenditur, planè ostenditur a Maximo Tyrio suo. Et testimonia reddidisse poetis plura, & honorifica, notatus a Scaligero est. quare barbari sint, & hispidi, qui auctoritate Platonis poetas e republica exigendos volunt. & illius aut hoc nomine spernetur auctoritas hîc, ubi dixit tam variè testimonium. Nota est lex, quæ testes ita repellit. Et Homero quid obiectat Plato, quod in ipso non sit maximè reprehendendum? intemperantia convivia philosophi non spectabis apud poetam. non fœdam Alcibiadis pruriginem audies, non tot ineptas, & spurcas fabulas, ex quibus evadere nullus vir bonus queat. Et hoc tamen prætextu poetas ille abigit de republica sua, qui monstra scripsit quæ legisse nunquam, operę pretium fuerit. Plura in proposito hoc Athæneus contra Platonem. præter quàm quod invidissimus, rabiosè maledicentissimus, mendacissimus, improbissimus traducitur, & ridiculè ambitiosissimus, qui post Draconis, & Solonis leges obtrudere suas voluerit Athæniensibus: quos & voluerit fieri novos, nescis quales, homines, qui nullibi unquam extiterint. Et quidem sic de sua illa republica poetas eiecit, non de ullis alijs. ut traditum & receptum omnibus est. neque enim medici isti quid agent, ubi sani secundùm Platonis homines omnes sunt. Duo is præterea notat, propter quæ exulare poetas voluit. primum, quòd ignoret poeta res illas, de quibus dicit etiam excellenter. secundum, quòd imitando, eas deteriores facere cogitur, &, quantum ostendit experientia, facit. Sed neque ista momenti ullius sunt. Etsi enim ars est naturæ imitatrix, vincit tamen illam sępe: quemadmodum in pictoria ipsemet observavit Plato fieri, ut tantæ imaginem excellentiæ pingat pictot, quantæ nunquam ostendere natura vniversa possit. Et verò sic poeta noster vel viros repręsentat tantę virtutis, quantę capax humana natura non est. Atque si sic non agit poeta, eius hic culpam, non artis vitium accusabimus. Et poetas hos malos, impuros, impios de omni civitate eliminandos, volumus libentissimè. at non bonos, non ipsam poesim magis, quàm rhetoricam, propter usum & istius improbum. quia imò proprius usus istarum artium probus est, quod Aristoteles docet. Et ita ipse Plato, quam tantopere vituperat in Gorgia, rhetoricam probè tractatum in civitate admittit, & retinet. Primum verò illud

In Conu. lib. 1. poet. c. 2.

l. 16. de test.

lib. 4. 5. 11.

in prin. rh.

de

de ignorantia cavillationem habet. nam quod poeta in quantum poeta est, id est imitator, non sit neque moralis, neque civilis, neque militaris philosophus, & de his representat tamen: id ita solutum a Fracastorio est, quod nec ipse Plato, in quantum dialogos illos suos scribit excellentissime, philosophus est, sed singularis dicendi artifex. Et ego sic respondissem, in poeta duo esse, quasi in homine, corpus, & animam, & illud huius esse instrumentum, animam poetæ esse omnem philosophiam, per quam hominibus prodesse vult: corpus autem esse representationem, per quam anima illa agit, quod voluit. Sic filicet ut anima nostra per instrumenta hęc nostra corporis operatur, & agit. Et hîc ergo si Titium (ut vocabula teneamus iurisconsultorum) quis ignoranter loqui contenderet, quòd illius lingua non intelligat, quę loquatur: an non insanus accusator explodereturę? Verum cum Platone uno nimis diu versamur. Hoc ergo concludimus, ad Platonem non accessisse nostrum legislatorem. Iacobus Cuiacius in quæstione ista scribit, immunitates nullas tributas esse poetis: non quod non sint dignissimi, sed quod lex deficiat. Quod vanissimum est. Si enim dignissimi sunt, non debuit lex animata, qui ipse est princeps, deficere, & deesse dignissimis. Scipio Gentilis, frater meus, qui adfirmat, verissime illud a Cuiacio dictum, & rationem eius rationis reddit, quod olim poeticę artis honos non erat, & si quis in ea re studebat, in parasitando, & adulando totus erat, indignos quidem poeticę ortus ostendit: sed nec ipse tamen satisfacit quęstioni, cur ad summam excellentiam evectę rei poeticę non sint immunitates tributę. Rhetorica recepta in urbem difficilius, & nonnunquam prohibita exerceri, traditur. *Rhetores M. Crasso, & Domitio censoribus, cludere (ut ait Cicero) ludum impudentia suffi*. ut hęc de oratore Taciti verba sunt. qui & de inanibus exercitamentis, & de reliqua eorum indignitate notat. Sic, ut pulsos merito credas. Sed recepta tamen rhetorica in urbem consecuta etiam immunitates est. Rhetoribus quanta detulit Vespasianus? Philosophi quoque Roma pulsi, ut alijs de multis civitatibus, quasi corruptores iuventutis, & per eorum studia maxime res militaris langueſceret. Quæ illa est agitata quæstio, si arma simul, & litterę, res duę contrariæ, belli studia, & pacis, florere, atque vigere possint. Et de philosophorum improbitate, hypocrisi, malis artibus in administratione rerumpublicarum plures retulerunt. Quanquam abneget ista in deditis philosophię fideliter, egregius silicet Neronis institutor, Seneca.

ad d.l.3. C. de prof. & med.

li.2 parerg. c.1.

Cic. lib.3. de orat. Suet. de clar. rhet. Suet. c.18. Xip. in Vesp. Gell. lib.5.c.11. Asha li.13. App. de be. Mi. Quintil. decl. 268. Last. lib.3 inst.c. 15. Athæn. lib.5. Sen. ep.74.

Aut qui isti, quàm frequentes veri philosophi? raros ait Modestinus libro secundo Excusationum. Sed hæc, quæ dicuntur contra philosophos, non item dixeris contra poetas. Simulare te philosophum (eheu quantus istorum hypocritarum numerus!) potes, sed non oratorem, & minus poetã. Poetica pugnacissimos viros dedit Eupolim, Tirtæum, AEschilum, Alcæum, Archilocum, Sophoclem, alios. Etiam illud hic in quæstione nostra immunitatis referre philosophis potuisses, e philosophia non esse, excusare se a muneribus pecuniarijs. Et tandem, quicquid fieri cum philosophis oportuerit, & quæ quæ fuerit caussa (nam hanc se ignorare, ait Athæneus) hos in vrbem reducendi; certè immunitates obtinuere recepti, quas & tenent. Et sic medicina Romæ S. C. damnata per annos sexcentos, post admissa suis non caruit privilegijs. Quid ergo poetis est? Amant isti otia, & secessus. Sed nec tu eos iunxeris monachis, quos Valentis lex pressit merito, si sub specie religionis ignaviam sectantur, & per cultus divini simulationem alimenta inertiæ quærunt. ut ad eam legem videre te velim Alciati, & Cuiacij adnotationes. *nomine magnifico segne otium velant*, de alijs scribit Tacitus, & tu convenientissimè istis appinxeris. Monstra hæc mendicantium exterminanda undique, iubet Plato, & Iustinianus noster, qui propriumque magistratum huic rei fecit. Hic mihi Orosius, Iornandes, Diaconus, & alij reclament, & malè Valenti dicant, monachi, & monachales omnes. Quid ergo, quid poetis est? An quia histriones sũt viles, & histriones a poetis sunt, poetæ nullam habent immunitatem quasi infamium effectores? Sed poetę auctores laudantur tamen, actores histriones vituperantur soli. quod notat alicubi Augustinus. Sed de histrionibus mihi ita tradendum videtur, ut gentium instituta intueamur, rationes contra eos expendamus, & legem, si qua est dei, audiamus. Et equidem videre mihi videor, in civitate Romuli studia hæc, & oblectamenta pacis, & otij contemptui extitisse, & ipsos contemptibiles, qui ea exercuissent, atque illi magis, qui studiorum viliores partes tractassent. Sed postquam victa Italia, & subactis regionibus vicinis desitum est timere, tum demum insurrexere artes, & litteræ, ac desierunt esse ignobiles, quas viri non ignobiles colverunt. non omnes tamen eodem aut tempore, aut successu. Et hæc ipsa poetica, a qua histriones sunt, ultima extulit tum caput, quum longè a prima illa parasitatione recessisset. nam Lælius, & Africanus, qui comœdias nomine Terentij editas confecisse dicuntur, nomen suum vulgari, non sustinuerunt. Ipsi histriones, qui servi poetarum sunt,

Athæn. li. 4

l. 6. C. de mun. pa. l. 8. C. de pro. & me. Plin. lib. 29. c. 1. l. quidem C. de decur.

li. 4 histor.

l. 11. de leg. C. de me. val. & non 80. O. lib. ult. c. 33 I. de. re. succ. D. lib. 12. l. 5. C. de. spectac. lib. 2. de civ. c. 14.

multo

multo minus labem abstergere. arti suæ valuerunt: & quam per leges notam olim contraxerunt, eam vix eversa republica effugerunt sub ea exceptione, si non quæstus caussa prodiissent in scænam. ut ita ex temporibus Cæsarum prætoris edictum Pegasus, & Nerva filius exposuisse videntur. Quamquam nec ipse prætor, opinor, aliter sensit, qui actores alios præter publicè quæstuarios non cognoverit. non enim nisi sub Cæsaribus extiterunt hi, qui principi ut placerent, aut sibi etiam indulgerent, non, ut facerent hanc artem, prodibant in scænam. Hic tamen quæstio est, quid faciat merces artifici attributa, ut artem infamet. neque enim facere quidquam videtur quæstus ad artis honestatem, vel inhonestatem adprobandam. nam ea extra artem est. & medici, & iurisconsulti, & milites, & theologi mercedem capiunt: quorum artes non dicimus inhonestas. Mihi videtur, actores sine pretio indecoros propterea non esse, quia isti artem histrioniam facere non censeantur, ars autem notata est. & ita prætor, *Qui artis ludicræ, pronunciandive caussa in scænam prodierit*. ubi recipiendum est verbum *faciendi* sic, *Qui artis ludicræ faciendæ*, &c. ut illi dicerentur facere, qui saltarent in scæna, aut quid aliud sine voce agerent: qui per funabulum, per machinam aliquam decurrerent. Notatam artem ipsam histrionum testantur & alij. Artem autem non facere eum, qui semel, iterum quid artis facit, Alciatus adfirmat ad c. Lxv i. de V. S. ut proculdubio sic facit, qui quæstum in facto non ponit. Dices etiam, inclinantem civitatem Romanam, atque etiam ruentem in has operas, cohiberi ita decuisse, ut fæx histrionum a viris honestrionibus distingueretur, qui, principibus ut placerent, aut sibi etiam indulgerent, prodibant in scænam sæpius. Sed & in mercede reponere aliquam labem maiorem, nec est absurdum. nam & amicæ nomen est, quàm meretricis honestius. ut aliquando tractat Athæneus, & significavit Massurius iurisconsultus. Et crimina alia graviora fiunt ex pretio. ut nos ostendimus alibi. Et ipsæ illæ artes supradictæ nobilissimæ minus semper in eo artifice fulgent, qui mercedem pacisitur, aut accipit. Ecce tibi Hippocrates, qui artis dedecus putat, mercedem capere ab Democriti civibus. Factum philosophicum laudatur philosophi, qui egenis suis auditoribus ipse pecunias largiretur. Et verò id scribit Vlpianus iurisconsultus, religiosam esse philosophiam, sed hoc primum profiteri philosophos oportere, mercenariam operam spernere. Et idem, sanctissimam esse civilem sapientiam, sed pretio nummario æsti-

L. 12. inst. de his, qui no. inf.

Quinctil. lib. 3. c.

lib. 13.

L. 44. de V. S. ad l. 3. C. de malef.

ep. ad Abderis Lucian. in Nigr. l. 1. de ex. cogn.

matam dehonestari. Nam quid aliud est merces, nisi auctoramentum servitutis? Isocrates sanè, cùm discipulos docere cœpisset, & eos mercedem sibi numerantes adspexisset, lacrimas continere nequivit, & se tum intelligere, libertatem illis suam fuisse mancipatam, adfirmavit. Et id Socrates quoque, venditorem sui ipsius, qui mercede doceret. Nec est tamen conferenda histrionica merces cum medica, aut nostra. illa est operæ emptio. itaque theatrales, scænicæ operæ eorum appellantur. nostra non operæ, sed artis, non emptio, sed honorarium est. neque enim in tanta rei, pretijve distantia tu magis constitues emptionem nobis nostræ artis, quàm uno nummo aliam emptionem generaliter, aut conductionem. Sic Cicero artes illiberales, & sordidas ab honestis, & liberalibus non ex quæstu distinguit, sed ex operarum emptione. Et sic iniuriâ Isocrates conquæstus est. Neque nos Sabinum nostrum aut a Socrate notari sineremus sustentatum ab auditoribus suis. Ergo merces licet extra artem sit, si arti commensuratur, censeri in censenda arte non minimum debet. quod in histrionia quæstuaria accidit. Adde autem contra hos ex Demosthene, ingens esse miraculum, ut qui facit quæstum, is probus, & industrius sit. Atque hæc de quæstu. Sed est & alterum, quod exigitur infamandis actoribus: videlicet, ut in scænam prodeant, id est in eum locum, quo passim homines spectaculi caussa admittuntur. adeoque non loco, sed facultate volentium spectare, res hæc dijudicetur. Et ita Petrus Faber, in privato loco spectaculum publicum, in publico privatum esse posse, libro primo Semenstrium rectè exposuit. Vnde tu mihi notes, nullam aulicos, aut scholasticos labem contrahere, qui agunt aliquando fabulas apud nos, & linguę peregrinitate, aliterve excludere a spectando solent plerosque omnes. Sed isti nec pretio conducti agunt, sed Archytæ crepitaculo magis utuntur: quod laudat Aristoteles in Politicis libris. In theatro publico vel orationes, aut carmina recitare, probrosum Romę visum. Ratio autem eius juris hęc credi potest, quod instituto armatę civitatis res ea adversa fuerit: itaque non admissa in oculis civitatis, nec civitatem læderet, nec pœnam mereretur. Pręter quàm quod si in re aliqua quid est peccati, id augeatur sanè, si palam, & nulla publici reverentia admittitur. Sic evadit iniuria atrox, si in ludis, theatro, foro, facta sit: quia contumacia est in hoc palam facto, quæ delictum inducit. Lusus desinunt esse palam facti, itaque domi Agesilaus, non in foro, super arundine cum

Xenop. li. 1. Socr.

Tac. ann. 1. Suet. Aug. 43. Tyb. 35. l. 46. l. ca. l. x. de adq. poss. lib. 1. de off. l. 2. de orig. iur.

Orat. pro Phorm.

c. 20.

lib. 8.

Tac. an. 14.

l. 7. in fi. l. 9. de iniu. l. ult. de ri. nup. Plut. in Agesi.

filiolis

filiolis equitabat. Et ita iure Romano. In Græcia non notabantur histriones. Imò nec Romæ notabantur histriones omnes. non enim Atellanarij erant notati: qui tamen histriones nominabantur, & pro certo erant. Vt hinc quoque appareat, prætorem non nisi ad fœcem illam quęstuariam respexisse in edicendo. Erant autem Atellanę temperatum ex Italica severitate genus fabularum. Sic ut putes rectè cum Fabro, notatos pręterea reliquos histriones, quia res referrent turpiculas, ac leviores. Et de mimis dubitandum non est, actionem fuisse inverecundam, & imitationem lascivam personarum, ac rerum abiectarum: qualem hodie in Italia *mattaccinos*. Habitu muliebri agebant personam viri, & virili habitu personam mulieris, & lascivientes, & molliter facientes omnia, nunc personam agebant lenonis, nunc adulteri, nunc temulenti. Mimicas ineptias hęc appellat Seneca; at sunt plus quàm ineptię. Martialis, fœdissimis suis versibus fœdiores esse mimos, clamat.

Liu. lib. 24. Cor. Ne. de vi. ill. in prin. Liu. lib. 7. Suet. Ner. 39. Val. li. 2. c. 2. Sen. 2. c. 6. Athen. li. 14.

de mãq. vi.

Sed si Panniculum, si Spectas casta Latinum:
Non sunt hæc mimis improbiora. lege.

lib. 3. ep. 44.

Quare non immeritò notatum se existimaverit Laberius, qui mimos, & eques, & senex actitavit. Personę condicio multo magis infamem efficere actionem valet. Et non omnes omnia decent, aut in omnibus ferri queunt. Sic Antiochus rex dum mimos agit, tantum in pudorem agit spectatores, ut diffugiant omnes, qui in rege isthęc non ferenda existimarunt. Quamquã Laberius fuerit eo etiam nomine infamis, quòd & pecuniã pro opera illa accepit. Nisi tu ad id respondes, quod *merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis affert*, ut in proposito Tacitus ait. Sicut neque preces sunt, ubi negãdi libertas non est. quod alius dixit, & nos alibi executi sumus. Et verò sic est. *& ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, obtẽperaverint.* Etenim *velle non creditur, qui obsequitur imperio domini.* volũtate autem sublata nullum delictum superest. Et sic qui iussu eius, in cuius potestate est, matrimonium tale contraxerit, unde aliàs infamia cõtrahebatur, nunc non notatur. Non aliter tamen Laberium libero, quam si & iussus fuerit mercedem accipere. nam quod muneris nomine, & post rem actam acceperit, nihil eum excusat. De Laberio tamen satis. Alias autem fabulas pleraſque omnes multis aspersas, & conspersas fuisse verbis, factisq; inhonestis, & improbis, ego non dubito, & alij adnotarunt. qua de causſa improbaveris simul actores, simul etiam auctores. Non his carent vitijs pauculę, quę supersunt, moralis ipsius Terentij. Quid illarum numerus in-

Ariſt. lib. 8. polisic. Athen. li. 5 Suet. Cæſ. 39. Ann. 14. Quinſtil. decl. 281. l. 4. l. 157. de reg. l. 20. C. de adult. l. 11. de his, qui no. in. not. ad l. ſ. flagitiũ. de V. O.

finitus vulgarium? mediæ comedię plures octingentas, & delectu quidem habito, euoluisse se, inquit Athęneus. Etiam illa contra histriones erant, ut toties urbe, & Italia pellerentur, quod fœda per domos, seditiosa in publicum, ubique immodesta multa patrabant. nec enim istorum societates erant modestiores societatibus illis, aut factionibus Prasinorum, Venetorum, aliorum aurigarum. Itaque de institutis populorum satis, & iure nostro, nam infames hodie histriones esse nullibi, certum est. At Plato adversus histrioniam usus ea est ratione, quod istiusmodi imitationes, maximè si a teneris annis initium sumpserint, in mores, naturamque abire, & quantum ad corpus pertinet, ipsamque vocis conformationem, & ad animi ipsius constitutionem solent. Et vera Platonem dicere, mihi quidem persuasissimum est. Nec aliter Aristoteles, qui, histriones magna ex parte improbis esse moribus, agnoscit, quia magnam ætatis partem malè consumunt. Sed hæc tamen non attingunt hos, quos nec notatos edicto prætoris, dixi. Hos attingit Platonis ratio altera, quod deterioris se partes agere, non sit aut decorum, aut tolerabile. quo enim cum pudore vir aget partes mulieris, liber servi, sobrius ebrij, honestus impuri, homo etiam belluę? Sed ioci tamen, & vtilitatis caussa fieri isthæc aliquantisper posse, & ipse ibidem fatetur Plato. & quod de actione oratoria ait Aristoteles, idem de histrionia dicere nos, quid vetat? rem hanc sanè levem esse, & importunam: verum ea cum ad poematum perfectionem adcommodetur, non tanquam honestę, sed tamquam necessariæ rei, ratio ipsius habenda est. Ea est naturæ depravatę, & medendis hominum vitiis. Sicut autem medici nec a mendacio refugiunt officioso, nec alij ulli: quod alias explicavi: & mendacium res omnium turpissima est tamen: ita hic medici isti ab his indecoris imitationibus non subtrahent se. Et morbos corporis per spectacula curari, scribit Hippocrates. Oratori sunt illę omnes personę induendæ sæpius, nec cum dedecore, quia necessario. Referunt, Theophrastum & docentem in scholis gestu omnia dicta comitari solitum, etiam cum de ebrio, similive oratio incidisset. Et hactenus de his. Nam qui histrioniam omnem sublatam esse volunt, hi auctoritate theologorum magis moventur. Ego verò ut theologorum auctoritate in re religionis ualde moveor, ita in re morali, aut politica non valde. Et loquuntur hi maximè, quum dœmonibus ludi exhiberentur. Et sic etiam damnant militiam patres propter idololatriam, quæ in imagines

lib.8. Suet. Aug. 45. Dom. 7. Tac. ann. 1. 4. 13.

li. 3. de rep.

Stil. 30. probl. 9.

lib. 3 rhet.

lib. 2. de. in. bo.

li. de insom. Athen. li. 1.

Bod. lib. 6. de rep.

Tert. de spect. Aug. li. 2. de ci.

gines principum, & in sacramenta impendebatur. Quod si quando generaliter loquuntur, id potissimùm ex humana faciunt ratione, quæ & ipsa fecerit histriones infames. Quæ tamen eos quare fecerit, & quo modo infames, nunc audivimus. Illud afferunt potentissimum ex verbo dei, *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea.* Sed hoc potest non multum histrionibus obesse, qui mimas habent, & scænicas, ut non habeant opus isthac vestium commutatione. Sed ego putem, sic vetitum vsum illum vestimentorum promiscuum in lege dei, ut in omni alia bona aliorum lege est. Nam sine vituperatione vir non facilè vtetur muliebribus. ut inquit Vlpianus: & id acriter antea monuit Tyberius. Sed Augustinus in secundo Soliloquiorum de re ista disputat, atque prohibitionem dei sic accipiendam sentit, ne in quasdam inexcusabiles turpitudines tandem decidatur. Nec enim frigore emori malit quis. quàm fœminæ vestem induat. Nec patriæ liberandæ relinquent occasionem, qui id efficere possunt vestibus induti fœmineis. Quamquam, hoc nomine vituperatam etiam à suis Gallis, & hoc quæsito colore necatam ab Anglis puellam illam Lotharingam, Galliarum assertricem, narrant. Atque nobis sermo alibi de his est. Sed & alij theologi uerba dei capiunt cum exceptione, quatenus ea vestium mutatio contra aliquod decalogi præceptum aut expressum, aut tacitum fieret. alioquin non sit ea moralis lex, neque nos teneat. et verò cæremonialis est Aquinati. Sed & illud ego crediderim, illis ipsis in verbis divinæ legis latere turpius aliquid, quàm quod verba sonant. nam additur ibi, *Abominabilis enim apud deum est, qui facit hæc.* Quod autem tantum scelus hîc est, ut sit abominatio? Scelus latet, quod itidem abominatio appellatur alibi: & fœda intemperie turpissimum, & nefarium, siue mulieres in uirorum, siue hi in illarum opera veniant, Platoni latè. Et sicut in Levitico uerbo retectionis quasi uestimentorum ea flagitia significantur: ita in lege hac, simili loquendi modo, par crimen proponatur. Nihil facit lex illa dei aduersùs histrioniam, & minus nihilo aliud, quicquid theologi afferunt. Bodinus abutitur auctoritate Aristotelis, quasi is histrioniam omnino non ferat, qui poeticam tamen vtilem civitati, docuit. Turpes fabulas exterminari, cupit ille, & ab his abesse præcipuè pueros. Augustus quoque, sic iussit à nocturnis spectatulis iuvenes utriusque sexus. *ne coetu promiscuo quod perditissimus quisque per diem concupisset,*

Deut.22.

c.6.dist.30.

l.23.de au. & arg. leg.

Tac.ann.3.

Comm. Pij. 2.lib.6.

S.1.2.q. 102.a.6.

Levit.18.

lib.1.8.de legi.

lib.7.politi. in fi.

Suet.c.31.

Annal.14. Suet.44.l. 8.C.de repud.c.3.di. 23.c.37.de consecr. dist.5.

pisset per tenebras auderet. Vt in proposito Tacitus. A quibusdam arcuit fœminas idem imperator, & nostri legislatores. Alij arcent omnino clericos. Hæc tamen, quæ caussas habent in ipsis spectatoribus singulares, nihil ad histriones pertinent. Et sic igitur in excursu isto de histrionibus concludo, histriones, non illos publicè mercenarios, indignarumque actores fabularum, nota nulla dignos videri. Sed etsi actores isti omnes forent notabiles: non propterea contemnes auctores, poetas. Vt enim magistratus sunt honorati, & eorum manus tamen abominabiles sunt carnifices; & præcones, & accensi, & reliqua ministeria minus digna: ita in honore esse poetæ possunt, cùm vox, & os ipsorum histrio inhonoratus maneat. Ministeria sunt servilia. Sic animi imperio, corporis seruitio vtimur. Et verò auctores afferunt animum, actores corpus. At age, ostendamus tandem, cur poetæ nulla immunitatis prærogatiua fruantur. Dicimus, id esse, quia artium doctoribus tantùm datæ immunitates sunt, non alijs. Igitur nec poetis vlla supra alios *prærogativa*, & priuilegium sit. Nam quod de oratoribus dictum est, id de rhetoribus est accipiendum, magistris oratorum. Et quod de sophistis, & dialecticis, sic de professoribus logicæ intelligitur, non in jure nostro modo, ubi exposuit Augustinus, sed & apud alios auctores. Et sic de reliquis. Et itaque hoc conficio, tributas immunitates esse etiam præceptoribus artis poetices, non minus quàm rhetoribus, & reliquis liberalium artium doctoribus: etsi ipsis poetis tributę non sint. Artium præceptoribus aut tributæ sint, quia illi pauciores cùm sint, quàm discipuli, de ærario auferent minus. aut quia sint vel hoc digniores, quod faciunt, alios esse, & stultitiam multam ferunt discipulorum. De magistris non capio, quod Diocletianus de hydraulis respondit Attalo alicui. Nec quod de calculatoribus alibi interpretatur in oratione divi Marci. Quicquid aliter Cuiacio videatur. Nam uerborum proprietas, & supradictæ rationes pro me stant, & opinor, titulus totus Codicis *de excusationibus munerum*. Itaque & sic accipio, quod de pictoribus, & reliquis expositum est. Quod si tamen probes minus in mæchanicis artificibus: addo tibi, humiliores has artes excitandas fuisse præmijs, at *fama soli serviunt poetæ, & eam vnam esse pretium omnis sui laboris, fatentur*. Nec alij longè aliter. In humilioribus verò artibus si & medicinam iure nostro reposueris, fortè non erraueris, quę tamen intelligetur de chyrurgica. At malim illud,

Sallustius.

Cic.in ora. Quin.li.2. c.15. Lucia.in Anachar. Isocr. con.soph.

l.4.C.de excus.mun. l.4.C.de prof. & méd. In l.6.de excusat. Tac.de ora. l.vlt.de iu. imm.l.1.C. de exc.art. l.4.de sicar. l.18.de instr.Paul. sent.de lega.

lud, *medicorum caussa iustior est, qui salutis hominum curam agunt*, ut est in primo capite, *De extraordinarijs cognitionibus*. Medicis nec professoribus est immunitas. et itaque titulus conceptus, *De professoribus, & medicis*. et sic distincti medici à præceptoribus alicubi Suetonio. Medicis nec professoribus, sed circumforaneis tamen, siue circuitoribus: ut hoc uocabulum alij malunt. Et sunt circuitores, qui medicinam faciunt, non tractaut domi otiosi, & in libris. Qualem fuisse Auicennam, dicunt, medicum summum, difficultate artis territum ab ea facienda. Et quidem nec his tributas legimus immunitates, qui libros conficiunt, & per litteras sic latiùs, longiusque docent. Sed nec isti tamen stultitiam discipulorum ferunt. et uno gloriæ studio feruntur. et plures utique sunt, quàm ut sufficere ęrarium eis possit. Nobis etiam interdicta scriptio est. Ecce ego desino, pareo legislatori.

in Augæ. 42.

Cuia. ad d. l. 6.

l. 2. C. de ve. iu. en.

E G